
Obserua hîc (sicut in omni re dialectica) diligentissimè amphibologiam vitandam esse, quæ si incidat, oppositio verbis non re fiet, vt: Omnis canis latrat, intellige de animali domestico, Aliquis canis non latrat, de sydere.

Oppositionis Tabula.



De

De Aequipollentibus.

Aequipollentes enunciationes dicuntur, quæ & si aduersis signis constent, ob negationis tamen varium situm idem valent, vt: Omnis homo mendax est, Nemo non est mendax. ἰσοδυναμία. Hæc superiori contraria est.

Hæc ex Grammaticorum latinè loquentium consuetudine potius quàm præceptis petenda videntur. Pro Aequipollentibus, propositiones idem valentes & declarantes latinè rectius dixeris. Signa autem ἰσοδυναμοῦντα *seu idem valentia ferè hæc sunt, Omnis, & Nullus non, Nemo non, Quis non: Non omnis, & Aliquis non, Nonnullus & aliquis, Quidam, Haud vllus, siue haud quisquam, & nullus &c.* Eras: lib. 1. Topi. capi. 48. & sequentia.

De Conuersione.

Conuersio est terminorum in pronunciatis commutatio, qua subiectus & attributus alter in alterius locum migrat, seruata eadem qualitate, vt: Nullus cometa est stella. Nulla stella est cometa. Ἀντιστροφή.

Huius species duæ sunt, alia enim est conuersio.
- *Simplex cum eadẽ retinetur quantitas, vt: Nullũ concretũ est æternum: Nullum æternum est cõcretum. Hoc modo generalis negãs conuertitur, vt in dato exemplo, & specialis aiens, vt: Aliqui literati sunt impij: Aliqui impij sunt literati.*
- *Per Accidens, vbi quantitas mutatur, vt cum generalis aiens vel negans in specialem eiusdem qualitatis conuertitur, vt: Omnis virtus expetẽda est. Aliquod expetendum est virtus.*

 Annotatiun-

TABVLAE DIALECTICARVM

PRAECEPTIONVM PERSPI-
CVA BREVITATE TOTAM VIM
artis complectentes, ex optimis
quibusq; autoribus collectę

PER

HERMANNVM POLY-
*GLOTSIVM IVLIACEN-
sis Scholæ moderato-
rem.*

COLONIAE,
Ex Officina Typographica Henrici
Aquensis.

M. D. LXXV.

AMPLISSIMIS, ORNATISSIMIS, INTEGERRIMISQVE

Ecclesiastici & Senatorij ordinis viris in
veteri laudatissimaq; vrbe Iuliaco
istius ducatus metropoli dominis suis iugiter colendis
Hermannus Voelhauer.
S. P. D.

QVanquã multos grauissimos vtilissimosq; labores n Repub. Christiana non sine summa laude sustinetis Reuerendi, Suspiciendiq; Ecclesiastici & Senatorij ordinis viri, dum alij in re diuina, alij in ciuili administratione supremi numinis laudem propagare maximè conamini: tamen reliquis haudquaquàm inferior is labor est, quàm in recta iuuentutis institutione procurãda exantlatis. Propterea quod incredibilis commoditas ad omnes ordines tam sacros, quàm prophanos ex ea promanat, estq; tenera illa ætas seminarium quoddam, ex quo excrescunt viri ad quaslibet humanæ societatis functiones aptissimi. Hæc igitur sacræ ecclesię semina si aut proteruis, & dissolutis moribus infecta, aut errorum caligine ab ipsis incunabulis excæcata fuerit, nullos fructus vnquàm laudabiles proferent. Quapropter nunquàm satis dignè laudari piũ hoc vestrum propositum potest, quo annis ab hinc quatuor in hac ciuitate nouam scholam non

ſine magnis ſumptibus & curis erexiſtis, vt ſeptem claſsibus totidem pueritiæ informatores prę eſſent, qui omnem feritatem barbariemq; ex animis puerorum, indies in hoc exhulcerato ſeculo magis magisq; (proh dolor) ſuccreſcentem, velut zizaniam ex infęlici ac agreſti ſolo nunquam non euellerent & extirparent, eiuſq; loco ſaluberrimas virtutes ac diſciplinas infererent, quibus aliquando exculti adoleſcentes, cum fructu patriæ ſeruire, amicis prodeſſe, & ſe ſuosq; honeſto vitæ genere tueri poſſent. Qua de cauſa vix ſcio an vllo alio beneficio liberales pariter in omnes veſtrorum ciuium liberos vicinorumq; locorum ſobolem eſſe, melius de ijs mereri, plures eodem facto beare, & quicquam præſtantiùs in omnem poſteritatem transfundere queatis, quàm hac ipſa ratione, qua non ciuibus tantum veſtris, ſed & omnibus Iuliacenſis ducatus incolis & accolis exiguis ſumptibus præſtantiſsimam omnium hæreditatem traditis, quam nullum vnquàm adimet infortunium, & quæ ſola cum ijs ad extremos rogos abibit. Quod veſtrum conſilium vt optatum aſſequatur effectum, quotquot in ſchola verſamur, laboramus ſedulò, ſermonis artes noſtrę fidei commiſsis accuratè tradentes, optimosq; authores tam Gręcos quàm Latinos imitandos proponẽtes, eosq; tam declamando quàm diſputando ſcribendoq; ad omnia munera Reip. exercentes. Quod vt perfectiùs fiat præcepta Dialectices omnium artium reginæ,

ginæ, veritatisq́ indagatricis in breues tabulas contraximus, hoc modo intellectui memoriçq́ tenerę pubis seruientes, vt possint nostri auditores vnico intuitu præclara illa pręcepta intueri, de quibus tot veterum volumina tam ampla & verbosa extant. Neq́ enim ideò hæc nostra opera videbitur cuiquã superuacanea, quod de eadem hac re plures alij ante nos disertè eruditèq́ scripserint, nã id quidem à plurimis factitatum, & subtiliùs multò ornatiusq́ quàm a nobis, haud inuiti fatemur, illam enim copiosè scribendi laudem, quæ Academijs & eruditis seruit, alijs concedentes, succinctam & methodicam artis traditionem secuti, & tyronibus in hoc disputandi campo nos accomodantes, rem (vt opinor) fecimus à nostro officio haud alienã. Consilium nimirum obseruamus peritissimi illius, & qui in erudienda iuuentute vix sibi parem habuit Fab: Quintiliani, qui iubet quasi guttatim sapidissimos bonarum artium liquores, tenerorum puerorum ingenijs instillare, præposterum docendi ordinem iudicãs, quasi superfusa humorum copia, oris augusti vascula, ita obscuris & amplis libris mollia pueritię ingenia obruere. Hanc igitur ob causam, & commoditatem *Amplissimi Ornatissimiq́ domini* mei subtiles illas veterum de re dialectica præceptiones in tabulas, quam fieri potuit, breuissimas coniecimus, easq́ vtrique & Eclesiastico & ciuili nostræ Reip: magistratui dedicandas putauimus: vt & illorum

 autori-

autoritate freta iuuentus hæc præcepta diligentius percipiat, quorum beneficio acceptũ fert, quod hic in terra patria minimo dispendio imbibit optimas & liberales disciplinas in extrema senecta sibi suisq; vsui futuras: & vestræ prudentiæ ac liberalitati pro eruditione, quam vestro iussu & sumptu illis tradimus, adolescentes in hac schola edocti æternas habeant gratias. Quorum vtrumq; futurum nobis certô persuademus. Vos interim *Ornatissimi Domini* mei oro atque obtestor vt hãc vestram scholam, cuius regendæ nobis Reuerẽdi autores estis, atq; hunc libellũ, quã in eius vsum elucubrati sumus, vestro patrocinio conseruetis, quo tandẽ omnis noster labor tendat ad laudem Dei Opt. Max. Qui vos in honestissimo hoc literarum amore in fœlici administratione rerum, in consilio prudenti, in florida pace diutissimè seruet incolumes. Valete. Ex schola vestra, Anno post humani generis redemptionem M. D. LXXV. 13. Calend. Maij.

TABVLÆ DIALECTICARVM PRAECEPTIONUM.

DIALECTICA est ars de qualibet re proposita probabiliter in vtramq; partem differendi. Hæc dicta est ἀπὸ τοῦ διαλέγεσθαι, hoc est dissero seu ratiocinor.

Differt Dialectice à Rhetorice, quod illa probabilitatem, hæc ornatum orationi addit, illa breuem, hæc copiosam orationem format, quare Zeno illam pugno, hanc palmæ similem dicebat.

Dialectices {
- MATeria est quæstio, de qua latius post Categorias dicemus.
- FINIS est fidem facere,
- INSTRVmentum est oratio, quæ cùm vel concisa sit vel continens, illa Dialectices, hæc Rhetorices instrumentum à quibusdam dicitur.
- OFFIcium est ea adhibere, quæ ad probabilitatem præstandam pertinent. Atq; id officium in his tribus.
- Definitione, Diuisione & argumentatione potissimũ cõsistit.

Partes huius artis duæ sunt: Inuentio & Iudicium. Quæ ex officio dialectici sumuntur. Nam & inuenire probationes oportet, & de inuentis iu- τοπικὴ καὶ κριτική.

dicare. Et licet Inuentio natura ordine prior ſit, nos tamen doctrinæ methodum ſecuti, & à facilioribus incipiētes. Iudicium priore loco trademus.

Eſt ergo Iudicium argumentum cum partibus quæſtionis diſponendi, & de iiſdem iudicandi ſcientia.

Hanc partem in quatuor theoremata diuidimus, in thema ſimplex, thema coniunctum, Propoſitionem & argumentationem. Quare & ſeriem hanc ſecuti, haſce ex ordine ſingulas exponemus.

De themate ſimplici.

Thema ſimplex voces continet & Categorias, omne enim thema ſimplex ad aliquam vocem categoriamúe refertur. Unde ſit vt ex his materia quæſtionum, propoſitionum & argumentationum ſumatur, quare quidam Dialectici hæc ad τοπικὴν id eſt, inueniendi partem pertinere malunt.

De vocibus.

Vox ſimplex eſt, cuius partes ſeparatim nihil ſignificant, vt homo orat.

Hæc diuiditur in {

Indiuidum, quod vni tantum conuenit, vt: Socrates, hic bos. Et prope conuenit cum Grammaticorum nomine Proprio. Licet Dialectici ſuum Indiuiduum quandoq; per Periphraſin explicent: vt, hic homo, Troiani belli ſcriptor, pro Homero.

* *Vniuerſale, quod citra ambiguitatem ſignificationis de multis dici poteſt.*

Cuiuſ-

* *Cuiusmodi voces quinq; sunt: Genus, Species, Differentia, Proprium & Accidens.*

Voces nihil aliud sunt, quàm attributionum principia, ex quibus intelligamus, quid de quolibet dici posit, unde & κατηγορούμενα Græcè dicuntur. Categoriæ verò sunt ordines rerum cognatarum, seu capita quædam illarum rerũ, quarum superiora inferioribus attribuuntur, quare et κατηγορίαι vocantur.

Vnde hic numerus vocum natus sit.

Harum vocum quinarius numerus ex attribuendi ratione ortum traxit, vt ex subiecta tabella liquet.

Eorũ quæ de altero dicuntur, alia respõdẽtur ad quæstionem
- *Quid est? idq; vel*
  - *De Specie, vt:* Genus.
  - *De indiuiduo, vt* Species.
- *Quale est? & hoc aut*
  - *Ad essentiam rei pertinet, estq; vel*
    - *Pars rei, vt:* Differentia.
    - *Propensio naturalis, vt:* Proprium.
  - *Non pertinet ad essentiam rei, vt:* Accidens.

De Genere.

Genus est vox, quæ de multis diuersis speciebus quærenti quid res sit responderi potest. Velut interroganti quid est homo. nil aliud vna voce responderis, quàm animal: Quare & genus in species sub se comprahensas, diuiditur, vt: Planta in arbo-

rem, fruticem & herbam. Elementum in Ignem, Aërem, aquam & terram, &c.

Genus est vel
- *Summum, quod supra se aliud genus habere nequit, quare nec vnquam fit species, vt: Sunt decem categoriæ, Substantia, Quantitas, Qualitas, &c.*
- *Medium, quod respectu superioris species, inferioris genus est, vt: Animal.*

De Specie.

Species est vox quæ generi subijcitur, & de qua genus responderi potest quærenti quid ea sit, vt: Quid est quercus? Respon. Arbor. Hic species fere semper in quæstione ponitur. Genus ad eam respondetur.

Species alia est
- *Media, quæ cum genere medio ferè idem est, potest enim & hæc aut genus aut species esse diuerso respectu, vt: Arbor species plantæ, genus quercus est.*
- *Infima, quæ cùm sit species genus esse nequit, est enim Indiuiduis proxima, vt: homo, equus, aquila.*

De Differentia.

Differentia significat rem ad suæ speciei naturam pertinentem eamq́; à reliquis speciebus eidem generi subiectis separantem, vt: Rationale, Homo enim & equus hoc differunt, quod hic sit ἄλογος *ille verò* ἔλλογος.

Diffe-

Differentia quidem ipsa non diuiditur, sed officium eius duplex est, eadem enim differentia aut adiecta generi speciei, nomen constituit, & tum dicitur συστατικὴ *seu* εἰδοποιὸς *Græcè, Latinè constituens, vt: Rationale adiectum animali hominem constituit. Aut genus diuidit &* διαιρετικὴ *seu diuidens vocatur, vt animalium aliud* ἔλλογον *aliud* ἄλογον.

De Proprio.

Proprium quod Græci τὸ ἴδιον *vocant, quatuor ferè modis vsurpatur. Primò proprium dicitur, quod vni alicui speciei, sed non omnibus eius Indiuiduis conuenit, vt: Medicam artem exercere homini.* πρὸς ἑτερον.

Secundò quod omni quidem speciei conuenit, at non soli, vt bipedem esse, fæcundum esse. ἴδιον καὶ ἀεί.

Tertiò, quod quidem omni speciei, omnibusque eius Indiuiduis, sed non semper conuenit, vt: In iuuentute pubescere. κατὰ πολύ.

Quartò proprium dicitur, quod omni solique speciei & semper conuenit, vt: loqui ridere, numerare. De quo proprio hic agitur, quod & differentiæ locum in definiendo supplere potest, Et de agendi facultate potiùs quàm de actu ipso intelligitur. καθ᾽ αὑτό.

Hæc vox à superiore differt, quod differentia dicitur, si generi aut alienæ speciei conferatur, proprium verò si suæ, vt: ratione valerè animali aut bestiæ collatum differentia, homini comparatum proprium est. Præterea differentia partem

rei constituentem, proprium verò facultatem seu procliuitatem ex ea parte profectam denotat, vt: ratio & mens, pars hominis est, ex qua numerandi facultas manat.

De Accidente.

συμβεβηκός.

Accidens est quod adest & abest subiectis sine eorum interitu, vt: album parieti & cygno, nigrum coruo & panno. Quæ definitio facta est non de actu sed potestate, non veritate sed intelligentia, autore Boetio.

Accidens est aut

- *Separabile, quod re ipsa separari potest præter subiecti corruptionem, vt candor à charta.*
- *Inseparabile, quod sola cogitatione separari potest, hoc est, etsi id abesse cogites, nihil tamen ipsi rei detrahes, vt nigrum à coruo.*

De Categorijs.

Hactenus de vocibus simplicibus, vt in attributionum ordines distributæ sunt, & quemadmodum aliæ de alijs dicuntur, diximus: nunc restat vt de ijsdem dicamus, quod res in ordines digestas significant. Nam vt vocum ità rerum cognatarum certas classes & quasi summa capita dialectici tradiderunt.

Categoriarum igitur doctrina ab Aristotele in tres partes distributa est: ἐις τὰ πρὸ τῶν κατηγοριῶν, τὰς κατηγορίας, ἐις τὰ ἐις μετὰ τὰς κατηγορίας.

Ex

Ex his nos antecedentia & consequentia categoriarum desiderantibus ex ipso Aristotele petendà relinquamus, de ipsarum verò categoriarum origine descriptione, diuisione & proprijs notis dicturi.

Categoriæ igitur seu summa genera & classes, ad quas omnia entia referri possunt, decem sunt: Substantia, Quantitas, Qualitas, Relata, Actio, Passio, Quando, Vbi, Situs & Habere. Hic denarius numerus ex subiecta diuisione nascitur.

> In omni categoria & quid ipsa sit, quomodo diuidatur & quæ sint proprietates videndum.
>
> Arist. li. de Categ. Quin. li. 3. cap. 7.
>
> Vnde sit ortus hic Cat. numerus.

Omnium eorũ quæ in toto vniuerso sunt aliud est
- *Substantia quæ summum genus est, diciturq́; Græcè* οὐσία.
- *Accidẽs, quod est forma aut*
  - *Absoluta eaq́; vel*
    - *Subiecta diuisioni, vt:* Quantitas.
    - *Nõ subiecta diuisioni, vt* (Qualitas.
  - *Posita in cõparatione eaq́; vel*
    - *Sola, vt* Relata.
    - *Mista adiectæ significationi, vt sunt sex reliquæ, scilicet*
      - Actio.
      - Paſsio.
      - Quando.
      - Vbi.
      - Situs.
      - Habere.

Substantia, οὐσία.

Substantiam vocamus, quicquid per se subsistit, ita vt ad illius essentiam nil aliud requiratur cui insit, sed illud ipsum alia omnia fulcit & sustinet.

Di-

Diuisio Substantiæ.

Substantia diuiditur bifariam.

- *Primo alia est.*
  - *Prima quæ sensibus est exposita, vt indiuidua huius ordinis quæ nec vlli insunt nec de vllo dicitur.*
  - *Secunda quæ est communis quædam notio, quæ cùm etiam nulli insit, dicitur tamen de inferioribus, vt genera & species huius categoriæ.*
- *Secundò alia est.*
  - *Incorporea vt spiritus estq; vel*
    - *Creans: vt Deus Opt. Maxi:*
    - *Creatus: vt sunt.*
      - *Angeli quorũ alij sunt.*
        - *Boni: vt* — *Gabriel.*, *Michael*
        - *Mali: vt Lucifer.*
      - *Manes*
  - *Corporea vt corpus estq; vel*
    - *Animatum quod est aut*
      - *Sentiens vt animal quod est vel*
        - *Rationale vt homo, velut* — *Seneca*, *Cicero*, *Plato.*
        - *Brutũ quod vel est.* — *Terrenũ.*, *Aquatile*, *Volatile.*
      - *Non sentiẽs estq;*
        - *Herba: vt* — *Lactuca*, *Artenisia.*
        - *Frutex: vt* — *Vepres*, *Genista.*
      - *
    - ❦

- * Arbor: vt
  - Pirus.
  - Pomus.

☙ Inanime, quod diuiditur in
- Concretum duplex est, scilicet
  - Perfectum q̄ distributum est in
    - Lapides
    - Metalla
    - liquores.
  - Im p̄fectum vt Meteora ceu
    - Nix
    - Grando.
    - Fulmen.
- Simplex estq́ vel
  - Aethereum complectens orbes & corpora cœlestia.
  - Elementare: vt
    - Ignis.
    - Aer.
    - Aqua.
    - Terra.

Sex substantiæ παρακολουθήματα.

Substãia
1. *Nulli subiecto inhæret.*
2. *De quibus dicitur συνωνύμως dicitur*
3. *Hoc aut illud significare videtur.*
4. *Nihil habet sibi contrarium.*
5. *Nec magis nec minus suscipit.*
6. *Una eademq́ numero manens sui immutatione contraria accidentia potest accipere.*

Quantitas

Quantitas, τὸ ποσὸν ἢ ποσότης.

Quantitas est qua expenditur rei tum magnitudo tum multitudo siue numerus.

Diuisio Quantitatis.

- Quātitas est duplex
  - Continua seu con uncta, cuius partes cō-muni termino coherēt. illaq; est vel
    - Permanens vt:
      - Linea, vel
        - Recta: vt vlna
        - Praua vt spira
      - Supficies cui & locꝰ additur estq; vel
        - æqua vt: area
        - Iniqua vt: Testudo.
      - Corpus idq; vel
        - Rotundū vt: Globus.
        - Angulatū vt: Tessera.
    - Mobilis vt:
      - Motus, estq; alius
        - Circularis,
        - Rectus,
        - Mistus.
      - Tempus ꝙ est aut
        - Preteritū.
        - Instans.
        - Futurum.
  - Discreta seu separata, cuius partes nullo communi termino coherēt, vt est
    - Numerus qui est aut:
      - Simplex siue
        - Impar,
        - Par.
      - Relatus vt: duplus, triplus.
      - Figuratus vt: trigonus tetragonus.
    - Oratio quę versatur in,
      - Compositione spondaica, dactilica, &c.
      - Cantu & Harmonia vt: Diapente Rythmo.
      - Versu vt. Hexametro, &c.

Proprietates Quantitatis tres.

Quantitas
1. *Nihil sibi contrarium habet.*
2. *Non suscipit magis aut minus.*
3. *Hoc præstat propriè vt ex ea paria dicantur & impária.*

Qualitas

Qualitas ποίον καὶ ποιότης.

Qualitas est forma absoluta indiuisibilis, per quam subiectum aliquo modo afficitur, & ex qua nomen ducit.

Ad hanc Categoriam ferè ea pertinent, quæ quærenti quale quid sit responderi possunt. Vt qualis est Cicero, prudens, eloquens, iratus. &c.

Diuisio Qualitatis.

Qualitatis species sunt quatuor.

- I. Habitus constans, vsu firmatus. / Dispositio mobilis nō firmata.
  - Vtrumq; est vel
    - Animi idque aut
      - Intelligentiæ, vt: Sapientia, Prudentia, Ars.
      - Voluntatis vt: Virtutes & Vitia.
    - Corporis, vt: ars gladiatoria, certandi.
- II. Naturalis vis quę est vel in
  - Inanimatis, vt: vires orbium cœlestium, syderum, elementorū, lapidū
  - Animatis ea est facultas vel
    - Corporis, vt: valetudo, alacritas.
    - Animi quemadmodum pars
      - Vegetans, sicut nutriens, augens & generans, etiam in plantis: præterea appetens seu attrahens, Retinens concoquens, immutans, expellens.
      - Sentiens homini cū bestijs cōmunis aut est.
        - Apprehēdens.
          - Interior vt: Sensus cōmunis, phātasia, cogitatio cum existimatione, & memoria.
          - Exterior vt: Aspectus, Auditus, Gustus, Odoratus, Tactus.
        - Mouēs
          - Interior aut
            - Appetēs / Fugiens: Hinc ꝑturbationes oriuntur.
          - Exterior nempe, Ambulans, Volans, Natans.
      - Rationalis, qua bestijs præstamus, Ratione, Voluntate & Intelligentia.
    - Vtriusque vtpote ex
      - Sexu vt: Mas, Fœmina.
      - Naturali constitutione corporis, vt cholerica.
      - Viribus naturalibus vt: Fortitudo.
      - Aetatibus, vt facultas pubescendi in pueritia.
      - Proprietatibus singulorum animalium, vt: loqui.
  - Ita & naturalis imbecillitas diuiditur, sed contrario modo.
- III. Tertia.
  - Passio seu Latine ꝑturbatio, est alia
    - Animi, vt: libido, lætitia gestiens, ægritudo, metus.
    - Corporis, vt: pallor ex metu, rubor ex pudore.
  - Patibilis qualitas duplex est.
    - Orta ex perturbationibus in Animo. / Corpore.
    - Subiecta sensibus vt sunt, Colores, Soni, Odores, Sapores, Tactiles qualitates
      - Mouent Aspectum. Auditum. Odoratum. Gustum. Tactum.
- IIII. Quarta
  - Figura Inanimatorum.
  - Forma Animatorum.

In hanc tabulam annotatiunculæ.

Habitus est qualitas studio parata, quæ firmiter inhæret subiecto Græce ἕξις, *quam Cicero consuetudinem vocat. Si infirmior sit, & minus permanens dispositio, seu affectio græcè* διάθεσις *vocatur. Vt is qui leuiter Grammatices præcepta attigerit,* διάθεσιν, *qui firmiter ea tenens omnia expeditè & latinè reddit,* ἕξιν *habere dicitur.*

Naturalis vis est innata quædam vis & ppensio in aliq̃ rem, vt: robur in corpore, ingenium in animo, Imbecillitas cõtra est naturalis q̃dam abalienatio ab aliquare, qua subiectum impotentius est. φυσικὴ δύναμις καὶ ἀδυναμία.

Patibilis qualitas est diuturnior animi vel corporis commotio, fortuitò afficiens, vt: Odium, dulcedo. Idem est & passio, seu perturbatio, nisi quod hæc momentanea est, vt: ira breuis, illa vero patibilis qualitas permanentior, vt: Odium. Conueniunt hæ tres species eo quod corporis aut animi affectiones sunt. Differunt autem cum prima ex vsu, secunda à natura, tertia forte insit, aut si à natura tribuatur (vt: ὀργαὶ φυσικαὶ *) tamen turbat, cũ priores duæ quietæ sint.* παθητικὴ ποιότης, καὶ πάθος.

Forma & figura certa membrorum lineamentorũ & finium compositionẽ indicãt, vnde homines formosi: & figuræ rotundæ quadrataq́; dicuntur. σχῆμα καὶ μορφή.

Proprietatis Qualitates.

καθ' αὑτὸ qualitatis.

1. *Qualitatibus inter ipsas est repugnantia.*
2. *Qualitates intenduntur ac remittuntur.*
3. *Ex qualitate res similes & dissimiles dicuntur.*

Relata. τὰ πρός τι.

Relata sunt, quorum omnis vis & significatio in affectione quadam & comparatione ad aliud posita est. Vt nemo pater dici potest nisi filium habeat, & contra in neminem filij nomen cadit, nisi respectu parentum.

Diuisio Relatorum.

Relata duobus modis inter se comparantur.

- *Primò nominibus vel*
  - *Iisdem, vt: Simile, simili simile.*
  - *Diuersis, vt: Pater filij pater.*
- *Secūdò dū conferūtur vel*
  - *Substantiæ, idq́ aut per*
    - *Quantitatē vt:*
      - *Aequalia inter se.*
      - *Magnū paruum.*
      - *Tempus præsens præteritò, &c.*
    - *Qualitatē vt:* *Similia dissimiliaq́ & virtutes inter se, virtutes cum vitijs, præmia, gloria, peccatum, pœna. &c.*
    - *Actionem. Passionem* *in*
      - *Generatione corruptione.*
      - *Cognatione et affinitate.*
      - *Personarū discrimine.*
      - *Officiorū, honorū, magistratuūq́ gradibus.*
    - *
  - ❧

Quanti-

Quantitates, Qualitates. | * Vbi in locorum discriminibus. Quando in tẽporũ differẽtijs. Situm esse. Habere.

Actiones & reliquæ Categoriæ.

Proprietates Relatorum Quinq;.

Relata.
1. *Repugnantiam habent.*
2. *Recipiunt magis & minus.*
3. *Omnia reciprocantur.*
4. *Simul sunt ordine naturæ.*
5. *Simul aut sciuntur aut ignorantur.*

Diuisio Relationum generalis.

Eorum quæ iuter se conferuntur, alia ita necessario comparantur, ut citra collationem non intelligantur, ut pater & filius, reliquaq; huius Categoriæ, quæ vulgo Relatiua secundum esse dicuntur, Alia præter præcipuam suam significationem etiã affectionem ad aliud notant, & impropriè relata vocantur, quæ relatiua secundum dici nominat vt: scientia & ars sub eam cadens. Quomodo reliquæ sex categoriæ ad hanc referri possunt. Aristoteles in Catego. cap.4.

Actio, τὸ ποιεῖν.

Actio est agentis ad ipsum patiens accommodatio. vt: ignis ad aquam calefaciendam accommodatur.

Partinent ad hunc ordinem omnia verba actiua, & motum significantia, vt: scribere, ambulare, docere, itemq; eorum participia & verbalia, vt:

scribens, ambulatio. Præter verba sensuum & perturbationum, quæ sub actiua voce passionem significant, ut: videre, audire, metuere.

Actiones diuidũtur trifariã.

- *Primòaliæ*
  - *INDucunt vim suam in rem patientem, ut: verberare.*
  - *NON inducunt vim suam in rem patientem, ut: ire, spaciari.*
- *Secundò aut sunt*
  - *Naturales, gignere, calefacere in igne, sanguinẽ sistere in hematite.*
  - *Volũtariæ seu ciuiles, ut: Imperare, Orare, Mercari, & hæ vel sunt,*
    - *Sacræ, ut: Baptizare.*
    - *Prophanæ, ut struere, nauigare.*
- *Tertiò aliæ*
  - *OPUS effectum post se relinquunt, ut: ædificare, pingere*
  - *NON relinquunt post se, ut: dicere, canere, ludere.*

Proprietates Actionis & Passionis.

1. *Actioni & passioni proprium est, in motu esse.*
2. *Utraq; intentionem recipit & remissionem.*
3. *Actio actioni aliquando contraria est, sicut & passio.*

Passio τὸ πάσχειν.

Passio est effectus agentis, hoc est, accommodatio patientis ad agens, ut: moueri, calefieri &c.

Huc pertinent omnia verba passiua, itemque nomina & participia passiuæ significationis, ut: augeri, auctus.

Similiter

Similiter sensuum & perturbationum de quibus paulò ante. Diuisio eadem cum actione nominibus tantū inuersis. Proprietates quoq; eædem cum superiore categoria.

Categoria vbi τὸ ποῦ.

Vbi est ordo qui locorum differentias complectitur, vt: domi, foris, sursum, deorsum.

Ad hanc Categoriam pertinet, quicquid ad quæstionem (vbi? Quo? Qua? Vnde?) responderi potest.

Diuisio huius ordinis ex loci distributione petenda est, quam in loco ponemus in Topicis.

Quando τὸ ποτὲ.

Quando est ordo, qui temporum differentias continet, vt: hodie, heri, olim.

Subijcitur huic ordini, quicquid legitimè respō detur interroganti, quando quid factum, futurū sit, aut fiat? vt: heri, nunc, cras, citò.

Huius etiam Categoriæ diuisio ex temporum discriminibus peti debet, quare nos eam in loco Temporis in Topicis ponemus.

Situm esse, συγκεῖσθαι.

Situs est genus eorum nominum, quæ corporis partiumq; eius compositionem significat, vt: stare, sedere, pronum, supinum. Ad hanc Categoriam ptinent partiū in suo loco dispositiones, quare hinc non rarò regionū, vrbium, fluminum, montium, ædificiorumq;, plantarum, animaliumq; descriptiones petuntur.

Situs autem est,	*NATVRALIS, vt: cœli sursum.*	
	VOLVNTArius, vt: sedere, stare.	

Habere τὸ ἔχειν.

Habitus est ordo complectens vocabula à vestium, armorum, ornamentorumque nominibus deducta, quibus ratio vestiendi corpus significatur, vt: armatum, hastatum esse.

Nota huc vestes ipsas (vt toga) non pertinere, sed eas denominationes, quas substantia ex vestiũ ratione accipit, vt togatum esse.

Habitus alij deriuantur à	Vestibus, vt: togatum esse, Armis, vt: loricatum esse, Ornamẽtis, vt: annulatũ esse,	Et hi parãtur vel causa	Necessitat. vt: calceus. Decoris, vt Annul⁹.

Vsus Categoriarum.

Vsus seu finis categoriarum est, vt quamque vocem ad certam classem rerum ratione suæ significationis referre queamus, quod mirè ad naturam rerum intelligendam faciet. Deinde vt ad definiendum genus propositæ vocis speciesque in promptu sunt cum differentia. Tertio & in diuidendo quam latè se species fundant perspiciamus. Postremò vt accuratè intelligamus cognata, adiũcta, consequentia, aduersaque istius rei de qua disputandum est.

De Quæstione, quam supra dialectices materiam diximus.

Quæstio est cum interrogatione elata, & in dubium vocata oratio, vel omne id, quod ad disputandum

dum explicandumq́; ꝓponitur, vt: Sit ne mundus æternus. An cœlum rotundæ sit figuræ.

Eius partes duæ sunt.
- Subiectum de quo quęritur vt in dictis exemplis, Mundus, Cœlum.
- Attributũ, ꝙ de altero quęritur vt supra sitne ęternus, aut sit rõtũdę figurę.

Iisdem ex partibus & propositio constat, quare quæstio facile in enunciationem verti, & mutari potest, abiecta interogationis nota, vt an mundus sit æternus: Mundus est æternus. Quæstio autẽ cum rerum materiam secum adferat ex alijs artibus, Hinc propriè sumit vt ordine via explicetur ad fidem. Rodolph. lib. 2.

Porrò vt quæstionis natura exactè perspiciatur, primo de eius speciebus, deinde inuentione, postremò, de propagatione dicendum est.

Diuisio quęsti-
- A rebus ipsis quęstionum alia,
  - Simplex est, quae vnũ quęrit de vno, & est triplex.
    - An res sit, vt: an sit diuinatio.
    - An hoc sit illud, vt: An anima sit immortalis.
    - Quomodo hoc sit illud, ꝙ est quadruplex.
      - An hoc sit definitio illius, cui respondet, An illud huius definitum.
      - An hoc sit genus illius, qua cõprehẽditur: An illud huius species.
      - An hoc sit proprium illius,
      - An hoc sit accidens. Cui respondet: An illud huius subiectum.
  - Compo- sita est quę plu-
    - Copulatiua est, qua duæ pluresue simplices cõiunctione copulatiua iunguntur, vt: Sitne virtus summũ bonum, & anima immortalis,

onũtrifariam ſumitur. * ra de pluribus quærit, Et eſt duplex.
- Diſiunctiua, cum plures ſimplices coniunctione diſiunctiua conferuntur, vt: ſit ne mundus æternus, vel an quandoq; periturus.

A modo quærendi bipartito diuiditur.
- Primò queſtio alia eſt.
  - Prædicatiua, qua aſſeuerãter quæritur, cui Theſis apud Rhetores conuenit.
  - Conditionalis, qua querimus cum conditione, cui Rhetorum Hypotheſis reſpondet.
- Secũdò queſtionũ alia eſt.
  - Pura, qua purè & abſolutè quæritur.
  - Modalis qua non ſimpliciter, ſed certa lege exiſtendi quereritur.
  - Precipui modi ſunt quatuor.
    - Poſsibile.
    - Impoſsibile.
    - Contingẽs.
    - Neceſſariũ.

Ab artium diuerſitate quæſtionum alia eſt.
- Cognitiua, quæ ſolum cognitionis finem ſpectat, vt: An ſit infinitum
- Actiua, quæ non ad cognitionem ſed actionem relata eſt, & eſt duplex.
  - Moralis, cuius explicatione animo ad virtutem dirigitur.
  - Operaria, cuius vis ad eas res pertinet, quibus corporis neceſſitatibus ſubuenitur.
- Media quæ vtrumque & actionis & cogitationis finem complectitur. Quales ex diſſerendi artibus petuntur.

DE INVENIENDA Quæstione.

Omni differenti, dicentiq; quæstio est proposita, ea verò in dialecticis disputationibus obscura esse nequit. Continens autem oratio aut aduersarium habet, & in certamine duorum est posita: aut vnius est partis, & obsequentem habet auditorem. Quæ in certamine est posita, semper aliquid petit ab altero, cui alter contradicit In quo igitur conueniunt quæstio esse non potest. Vnde est intentio Accusatoris & depulsio Rei. In quo consistunt, & confligunt inuicem, ita vt alter alterum progredi non patiatur, quæstio existit, vocaturq; à Rhetoribus à stando status.

In oratione quæ obsequentem habet auditorem acriore intentione eruenda est questio, inuenieturque expeditissimè si primò consideres personas inter quas agitur, quarum animus, officium, & conditio spectabitur: deinde rem præteritam aut futuram de qua agitur: Tertiò conatum seu id quod ob hanc rem dicendo efficire volumus.

De diuidenda & propaganda Quæstione Vna in plures.

Ex vna quæstione fiunt plures, tum trahendo eas ex verbis primæ, tum ex ijs quæ verbis continẽtur. Ex verbis bifariam fiunt plures. Nam & singula verba conferimus ad species supra positas, vt si quæratur, An Cato Martiam rectè tradiderit

Hortensio

Hortenſio, hic primò ſpectabitur an fuerit Cato, deinde an Martia fuerit. Item an Hortenſius ſuus fuerit, Poſtremò an recta fuerit traditio, quæ idem valet cum prima. Et partes paulatim plures & poſtremô vniuerſas coniungimus, vt: An Cato Martiam tradiderit, An Cato Martiam Hortenſio tradiderit, Item, an Cato Martiam Hortenſio rectè tradiderit. Quæ iterum eſt principalis quæſtio.

Ex ijs quæ verbis continentur propagabimus quæſtionem, ſi primò quæ neceſſariò contineantur, videamus vt genus in ſpecie, pars in toto, aut quod alioqui certū eſt ineſſe verbis, vt in Catone, homo tanquam genus continetur. In tradendi verbo habuiſſe, dimiſiſſe contuliſſe alteri. In Martia, quæ hoc loco Catonis vxor accipitur, commune vxoris nomen. In Hortenſio homo, ſicut in Catone. Quæ ſingula in quæſtionem aliorum vice referri poſſunt vt docet Rodolphus lib. 2. Deinde ſi videamus, quæ ex conditione inſint, qualia ſunt, quæ ex circūſtantijs pendent, queq; propoſitam quæſtionem ex theſi in Hypotheſin vertunt. Cato enim ſi nuda eius ſubſtantia ſine circumſtantijs ſpectetur, nihil à quoquam homine in genere differt. At circumdatis his, ob quæ propriè Cato dicitur, quæq; extrinſecus ei accedunt, fit Hypotheſis, vt: An Cato rectè tradiderit Martiam Hortenſio? Hoc eſt, An Cato Stoicus philoſophus, ciuis Romanus, Senator, homo ſpectatæ ſeueritatis Martiam fœminam no-

bilem

bilem, benè moratam, opulentam, forma & pudicitia conspicuam, ac trium liberorum matrem rectè tradiderit Hortensio viro nobiliori, liberius viuenti, consulari, opibus, gratia, facundia claro. Tum quam ob causam, quomodo, quo tempore, quo loco tradiderit, quæ circumstantiæ sunt verbi tradendi, à quo aduerbium (Recte) non separatur. Hæc dicuntur ex conditione inesse, quia de his constanter pronunciari non potest, nisi intelligatur, si talis sit Cato, talis Martia, talis Hortensius, qualis descriptus est, an tum rectè tradiderit, quæ iam aperta Hypothetica est.

De Propositione.

Propositio est oratio perfecta & indicatiua verum aut falsum sine ambiguitate significans, vt: Virtus beatos efficit. Mors non est mala.

Hæc ab Aristotele ἀπόφανσις, *à Peripateticis* ἀξίωμα, *à Cicerone pronunciatum, effatum, enunciatum, enunciatio à M. Varrone proloquium vocatur.*

Eius partes vt & quæstionis duæ sunt, quæ termini vocantur, & extrema, Subiectum & Attributum. Subiectum est cui aliquid tribui, vel adimi significatur. Estque semper nomen nominatiui casus, aut aliquid eius loco positum, obliqui enim casus hinc remouentur. Attributum est, quod subiecto tribui aut adimi significatur. Estq; finiti modi verbum aut nomen cum verbo substantiuo.

ὑποκείμενον.

κατηγορούμενον.

Diuisio

Diuiſio propoſitionum.

- **Propoſitio diuiditur**
  - **Primò in**
    - Categoricã, ſeu ſimplicem, quæ duobus tantum terminis continetur, vt: Deus eſt ſummũ bonum. Cæſar Romanos vicit. hæc eſt, aut
      - Generalis, cuius ſubiectô termino communi additur ſignum vniuerſale, vt omnis voluptas eſt fugienda.
      - Specialis, cuius ſubiecto cõmuni termino additur ſignum ſpeciale, vt: Aliqua voluptas eſt fugienda.
      - Indefinita, cuius ſubiecto cõmuni nullũ ſignũ additur, vt: homines facile errant.
      - Singularis, cuius ſubiectus terminus aſt ſingularis, ſeu, indiuiduum, vt: Ariſtoteles eſt philoſophorũ princeps.
    - Hypoteticam, quę ex pluribus categoricis adminiculo coniunctionis conficitur, vt: Si Deus eſt ſummum bonum, ob illũ fient omnia. Ea eſt vel
      - Conditionalis, cuius partes connectuntur coniunctione conditionali ſi, vel ſimili, vt: Si Deus eſt iuſtus, puniet improbos.
      - Diſiunctiua, cuius partes connectuntur coniunctione diſiunctiua, aut, vel ſimili, vt aut pius eſt, aut impius.
      - Copulatiua cuius partes connectuntur, cõiunctione copulatiua, vt: Non & liberalis eſt & alieni cupidus.
  - **Secundò in**
    - Aientem, cum attributum ſubiecto tribui ſignificatur, vt Iuſtita & virtus.
    - Negantem cum attributum ſubiecto adimi ſignificatur, vt: Auaritia non eſt virtus.
  - **Tertiò in**
    - Veram quæ conſentit cum re ſignificata, vt: Deus eſt vltor impietatis.
    - Falſam, quæ diſſentit à re ſignificata, vt: Deus non puniet improbos.

Annotatio in hanc tabulam.

Generalia hæc signa voco huiusmodi: Omnis, cunctus, vniuersus, quisquis, vbiq;, nullus, nemo, nusquam, & similia. συγκατήγορηματα.

Specialia signa sunt: Quidam, aliquis, nonnullus, multi pauci, quispiam, aliquando, interdum, quandoquè.

Obseruandum interim est à materia, quam significant, ꝓpositiones alias necessarias esse, alias cõtingentes, alias impossibiles. Item alias puras esse, alias modales. Modos autem supra in tabula quæstionis breuiter attigimus.

Deinde notandum est, veritatis & falsitatis nõ eandem rationem esse in Categoricis & Hypotheticis propositionibus. Conditionalis enim omnis propositio cum argumentum seu probationem contineat duas habet partes: prior coniunctioni vicinior, antecedens: altera consequens, seu annexum vocatur. Tum igitur conditionalis aiens vera est, quando consequens ex antecedente rectè colligitur, quod fit cum oppositum consequentis pugnat cum antecedente, vt: si amicus est, benè vult. Sin secus se habeat, falsa est, vt: si tyrannus est, beatus est. Negans autem conditionalis vera est, cum reiecta negatione relinquitur aiens propositio falsa, vt non si libet licet. Sin aiens relinquitur vera, tum negatio est falsa, vt: Non si currit, mouetur.

Disiunctæ autem & negantes copulatæ tum veræ sunt cũ altera pars propositionis vera est, falsa

altera, vt: Aut pius est aut impius. Non & tyrannus est, & beatus. Sin secus, falsæ.

Notandum & illud est in omni Hypothetica propositione, tum demum eam negantem haberi, cum negatio coniunctioni præponitur, vt: Non si libet licet. Quod si negatio coniunctioni non præmittatur, & si partes negantes habeat, tamen affirmãs est, vt: si deum non timet beatus non est. Et tantũ de diuisione & qualitate propositionum dictum sufficiat. Nunc super est vt de accidentibus propositionum præcipuè categoricarum dicamus.

Accidunt igitur propositioni tria: Oppositio, AEquipollentia, & Conuersio.

De Oppositione.

Oppositio est duarum propositionum, quibus idem subiectum & attributum est, in qualitate, aut quantitate, aut in vtroque pugna. Hinc quatuor existunt eius formæ seu species: Aduersæ seu contrariæ, Subaduersæ, seu subcontrariæ, Contradicentes & Subalternæ.

Aduersæ sunt duæ generales propositiones, quarum altera ait, altera negat idem de eodem, vt: Omnes homines sunt literati, Nulli homines sunt literati. Harum ea lex est, vt nunquam simul veræ queant esse, falsæ aliquando in contingenti materia, vt in dato exemplo.

Subaduersæ sunt duæ speciales propositiones, quarum altera id negat, quod altera ait, vt: Aliqui homines sunt literati, Aliqui homines non

ſunt literati. Harum ea natura eſt, vt falſæ ſimul eſſe nequeant, veræ poſsint in contingenti materia, vt ſupra in dato exemplo. Quam tamen ſubaduerſarum legem quidam ideo reprehendunt, quod ſubiectus terminus de iiſdem non dicitur, vt: Aliqui homines literati ſunt, Aliqui homines non ſunt literati, idem valet ac ſi dicas, hominum alij literati ſunt, alij non ſunt literati.


Sub alternæ ſunt duæ enunciationes qualitate conuenientes, quantitate diſcrepantes. quarum altera generalis & altera ſpecialis. Omnes homines ſunt literati, Aliqui homines ſunt literati. Harũ ea eſt natura, vt ſub vniuerſali vera ſpecialis ſemper ſit vera: at ſpecialis vt vera ſit tamen generalis poteſt eſſe falſa, in contingenti materia, vt in dicto exemplo.

Contradicentes duæ ſunt propoſitiones tam quãtitate, quam qualitate diſcrepantes, vtpote cum ſit generalis aiens & ſpecialis negans, vel generalis negans & ſpecialis aiens, vt: Omnes homines ſunt literati, aliqui homines non ſunt literati; Item. Nulli homines ſunt literati, aliqui homines ſunt literati. Harum ea lex eſt, vt neq; veræ neq; falſæ ſimul eſſe poſsint.

Indefinitæ ꝓpoſitiones ſi neceſſaria materia ſit ad generales, ſin cõtingens ad ſpeciales ꝑtinebunt. Singularis ſi ex iiſdem terminis factæ pugnent, ad contradicentes referentur, vt: Cæſar eſt liberalis: Cæſar non eſt liberalis.

Obſerua hîc (ſicut in omni re dialectica) diligentiſsimè amphibologiam vitandam eſſe, quæ ſi incidat, oppoſitio verbis non re fiet, vt: Omnis canis latrat, intellige de animali domeſtico, Aliquis canis non latrat, de ſydere.

Oppoſitionis Tabula.



De

De Aequipollentibus.

Aequipollentees nunciationes dicuntur, quæ & si aduersis signis constent, ob negationis tamen varium situm idem valent, vt: Omnis homo mendax est, Nemo non est mendax.

ἰσοδυναμία.

Hæc superiori contraria est.

Hæc ex Grammaticorum latinè loquentium consuetudine potius quàm præceptis petenda vidētur. Pro Aequipollentibus, propositiones idem valentes & declarantes latinè rectius dixeris. Signa autem ἰσοδυναμοῦντα *seu idem valentia ferè hæc sunt, Omnis, & Nullus non, Nemo non, Quis non: Non omnis, & Aliquis non, Nonnullus & aliquis, Quidam, Haud vllus, siue haud quisquam, & nullus &c.*

Eras: lib. 1. Topi. capi. 48. & sequentia.

De Conuersione.

Conuersio est terminorum in pronunciatis commutatio, qua subiectus & attributus alter in alterius locum migrat, seruata eadem qualitate, vt: Nullus cometa est stella. Nulla stella est cometa.

Ἀντιστροφή.

Huius species duæ sunt, alia enim est conuersio.

- *Simplex cum eadē retinetur quantitas, vt: Nullū concretū est æternum: Nullum æternum est cōcretum. Hoc modo generalis negās conuertitur, vt in dato exemplo, & specialis aiens, vt: Aliqui literati sunt impij: Aliqui impij sunt literati.*
- *Per Accidens, vbi quantitas mutatur, vt cum generalis aiens vel negans in specialem eiusdem qualitatis conuertitur, vt: Omnis virtus expetēda est, Aliquod expetendum est virtus.*

Annotatiuncula in hanc tabulam.

Potest & generalis aiens simpliciter verti, si termini retrò vicissim commeant, vt: Omnis iustus suum cuiq; tribuit, Quicunq; suum cuiq; tribuit, est iustus.

Addunt hîc quidam tertiam speciẽ, quam per contrapositionem vocant, sed cum ea argumentationi similior sit, & insolentes loquendi formulas (quæ tamen vitari possent) adferat eam hîc consultò prætermittimus.

Hactenus de propositionibus. Nam quod ad hypotheticas attinet, de ijs in diuisione propositionis diximus.

DE ARGVMENTATIONE.

Argumentatio est oratio, qua aliud ex alio colligitur.

Diuisio Argumentationis.

Argumẽtationes aliæ sunt,
- *Perfectæ, vt:*
  - *Syllogismus præcipua argumentationis species.*
  - *Inductio, quæ ex specialibus generalia colligit.*
- *Imperfectæ vt:*
  - *Enthymema, syllogismus imperfectus.*
  - *Exemplum, imperfecta inductio.*

Annotatiuncula in hanc tabulam.

Tra-

Traduntur à quibusdam aliæ etiam argumentationis species, vt Sorites qui videtur ad Syllogismum referendus, & aliæ quædam quæ cum ad has reduci debeant, de ijs admonuisse breuitati harum tabularum satis esse credimus.

De Syllogismo παρὰ τὸ συλλογίζεσθαι.

Syllogismus est argumentatio, quæ ex duabus Enunciationis positis tertiam necessario colligit.

Diuisio Syllogismi.

Syllogismus diuiditur.

- Primò ex forma in
  - Categoricum, cuius omnes ꝓpositiones categoricæ sunt.
  - Hypoteticum, cuius prima propositio hypotetica est.
  - De hac vt pfectißima diuisiõe precipuè dicemus.
- Secundò ex materia in
  - Demonstratiuum, qui ex necessarijs propositionibus constat.
  - Dialecticum, qui ex probabilibus fit.
  - Sophisticum, qui ex falsis & fucatis conficitur.
  - Hanc diuisionem tanq̃ harum tabularum breuitatem impedientem preter mittemus.
- Tertiò ex terminis velut partib9 in
  - Communem, cuius medius terminus est vox communis.
  - Expositorium, cuius medius terminus est indiuiduum.
  - Hãc breuiter attingemus.
- Quartò à perfectione in
  - Perfectum, vt sunt omnes syllogismi primæ figuræ.
  - Imperfectum, vt sunt in reliquis duabus.
- Quintò ex terminorũ numero in
  - Simplicem, qui vno medio constat.
  - Coniunctum, in quo plura sunt media.
  - Huc Dialecticus & Rhetoricus referri possunt.


Duo potissimum in omni argumentatione spectantur nempe.

- *Materia, vt sunt termini seu remotior, & propositiones seu propinquior materia; in qua si quid vitij sit, falsæ propositiones negantur.*
- *Forma, quæ est recta argumentorum cum partibus quæstionis collocatio: in qua si quid vitij deprehendatur, consequentia negari, & forma reprehendi solet. Atq; ea propriè huius est loci.*

Materia categorici Syllogismi est in tribus propositionibus & totidem terminis, ex his enim omnis categoricus syllogismus constat.

Propositiones hæc habent nomina: Prima, propositio maior, seu Maior, seu simpliciter propositio vocatur: Secunda propositio minor, seu absolutè minor, vel etiam assumptio dicitur: Tertia conclusio seu complexio appellatur.

Termini tres (quorum ille qui attributus quæstionis est maior, eiusdē subiectus minor, qui verò horum quasi arbiter est, medius vocatur) propositiones illas tres ita constituunt, vt singuli bis in ratiocinatione ponantur. Nam maior cū medio propositionem: minor cum medio assumptionem, maior cum minore conclusionem efficit. Ita fit vt inuentio horum terminorū difficilis esse non posit.



Quæstio

Quæstio enim ipsa probanda, quæ semper Syllogismi fit conclusio, duos secum adfert terminos: deinde medius ex loco aliquo dialectico, quem attributus aut subiectus terminus quæstionis ostendit, petendus, & vtriq; extremo coniungendus est. Atq; ita parata erit materia Syllogismi.

Forma autem ratiocinationis est in figuris & modis.

Figura est certa collocatio medij termini, quod ad subiectionem & attributionem attinet.

Modus autem est in singulis figuris propositionum in certa qualitate & quantitate constitutio.

Modi diuiduntur,
- *Primò in*
  - *Generales, quorũ conclusio generalis est, vt: Barbara, Camestres.*
  - *Speciales, quorum conclusio specialis est, vt: Darij, Felapton.*
- *Secundo in*
  - *Aientes, quorum complexio aiẽs est vt: Barbara, Disamis.*
  - *Negantes, quorum conclusio negans est, vt: Celarent, Bocardo.*

Compositurus ergò Syllogismum, primò videbis ad quam figuram, deinde ad quem illius figuræ modum illum Syllogismum referri velis. Quod si feceris, non est opus illis generalibus regulis, quæ hoc loco à Dialecticis tradi solent: Quæ docent tres tantum terminos esse oportere in Syllogismo, nec vllum admittendum ambiguum, qui si adsit, Regulæ generales syllogismorũ. *distin-*

distinctione argumentum soluitur. Item ex solis negantibus, & particularibus solis nihil rectè concludi: in complexione nō plus esse oportere, quam in præmissis, medium terminum conclusionem non ingredi: quod complexio sequitur partem deteriorem, & si qua sunt similia.

Figuræ igitur syllogismorum categoricorum tres sunt.

De prima figura.

Med: Ma:
Min: Med:
Min: Ma.

Prima figura est, cum medius rerminus in propositione subiectus, in assumptione verò Attributus est, vt:

Omne animal sentit
Omnis talpa est animal. Ergo
Omnis talpa sentit.

	Subiect:	Attrib.
Propositio	Animal	Sentit
Assumptio	Talpa	Animal
Conclusio	Talpa	Sentit

Atq; ea dispositionis forma omnium est perfectissima, omnesq; quæstionum species concludere potest. Quare & reliquarum figurarum syllogismi ad hanc ceu Lydium lapidem reuocantur.

Huic proprium est nunquam habere. { *Propositionem specialem.* / *Assumptionem negãtem.* }

Modi primæ figuræ sunt quatuor, hoc versu comprehensi: Barbara Celarent primæ Darij Ferioq;.

Hæ voces & si nihil per se significent, earum tamen syllabæ & literæ (ita enim memoriæ causa

con-

confictæ sunt) aliquid denotant in syllogismorum structura, prima ergò vocis syllaba propositionem, secunda assumptionem, tertia complexionem notat. Vocales autem qualitatem & quantitatem singularum propositionum indicantes compositioni, consonantes reductioni Syllogismorum seruiunt, velut suo loco dicemus.

A. notat generalem aientem.
E. generalem negantem.
I. specialem aientem.
O. specialem negantem. Hinc sunt hi versiculi.
Asserit A. negat E. sed stant generaliter ambæ.
Asserit I, negat O. sed stant specialiter ambæ.

Primus ergò modus primæ figuræ ex propositio I. Modus.
ne & assumptione generaliter aientibus colligit complexionem generalem aientem. Medius terminus sic inuenietur, si sumas eum, qui antecedat maiorem, & sequatur minorem terminum, vt: honestum antecedit amplectendum, vtpote quod subiecti vice sit, idemq; sequitur virtutem tanquam adiacens, hinc talis est syllogismus.

Bar	*Omne honestum est amplectendum,*
Ba	*Omnis virtus est honesta. Ergo*
Ra.	*Omnis virtus est amplectenda.*

Secundus ex propositione generali negante & II.
assumptione generali aiente conficit generalem negantem complexionem. Medium pugnabit cum maiore, & sequetur minorem terminum, vt:

Vir bo-

Virbonus { *pugnat cũ misero, maiore termino, vt: causa opposi(ti.* / *sequitur sapientem minorem, vt: adiacens.* }

Ce Nullus vir bonus miser est.
La Omnis Sapiens est vir bonus. Ergò
Rẽt, Nullus sapiens miser est.

3 *Tertius modus ex propositione generali aiente & assumptione speciali aiente colligit complexionem specialem aientem. Medium antecedit maiorem, & consequetur partem minoris termini, vt:*

Deum colere. { *antecedit Beatum, maiorem, vt causa.* / *consequitur partem opulenti tanq̃ fortuitũ adia(cens.* }

Da Quicunq; colit Deum beatus est.
Ri Aliqui opulenti colunt Deum. Ergô
I. Aliqui opulenti sunt beati.

4 *Quartus ex propositione generali negante & assumptione speciali aiente infert conclusionem specialem negãtem, Medius pugnabit cum maiore, & sequetur partem minoris termini, vt:*

Alieni cupidus { *pugnat cum liberali maiore.* / *sequitur partem diuitis minoris.* }

Fe Nullus alieni cupidus est liberalis
Ri Aliqui diuites sunt alieni cupidi. Ergò
O. Aliqui diuites non sunt liberales.

De Secunda Figura:

Secunda figura est, cum medius terminus tam in maiore, quàm minore propositione attributus est.

Stella

Stella	*euanescit*
Cometa	*euanescit*
Cometa	*Stella*

Huic proprium est habere. { *Propositionem maiorem generalem.* / *Conclusionem negantem.*

Modi huius formæ sunt quatuor iuxta versiculum:

Cesare, Camestres, Festino Baraco secundæ.

Primus modus ex propositione generali negante, & assumptione generali aiente efficit conclusionem generalem negantem. Medius pugnabit cum maiore, & sequetur minorem terminum, vt: I. Modus

Euanescit { *pugnat cum stella maiore* / *sequitur cometam minorem.*

Ces *Nulla stella euanescit,*
a *Omnis cometa euanescit.* *Ergò*
re. *Nullus cometa est stella.*

Hnius figuræ Syllogismi cum sint imperfecti ad primam figuram (vt diximus) reuocandi sunt, quam reductionem ἀπαγωγὴν Græci vocant.

Ea duplex est. { *Ostensiua, quæ terminorum conuersione, et quandoq; propositionum transpositione constat.* / *Per impossibile, cum ex contradicēte conclusionis & altera præmissarum colligitur contradicens, vel contraria alterius præmissæ.*

Ostensiuæ reductionis artificium docent consanantes vocum modis præfixarum. Nam quatuor primæ consonantes B. C. D. F. modum indicant primæ figuræ, ad quem reductio fieri debet. Quicunque ergò modi secuudæ vel tertiæ figuræ habent primam literam B. ad Barbara, qui C ad Celarent, q D. ad Darij, qui F. ad Ferio reducendi sunt.

Item mædiæ consonantes S. P. M. C. ostendunt quomodo reductio fieri debeat. Nam in quacunque syllaba S. inueneris, ista propositio hac syllaba notata, simpliciter conuertetur: At vbi P. repereris, ea per accidens conuertenda est. Sed si vspiam occurrat M. in dictione alicuius modi, ibi propositiones transponentur, ita vt propositio assumptionis, & assumptio vice versa ꝓpositionis locum capiat. Vbi verò C. inueneris, intellige illum modum non ostensiue, sed per Impossibile reduci. Id admonent triti hi versiculi.

S. vult simplititer verti, P verò per acci.
M. vult transponi, C per impossibile duci.

Exempli gratia, C prima litera in Cesare notat ostensiuam reductionem fieri debere ad Celarent, secundum modum primæ figuræ: ideò dictus syllogismus ad eum modum reducetur. Deinde S in Ces. indicat maiorem propositionem (quam prima syllaba significari diximus,) simpliciter debere conuerti. Ostensiua igitur reductio fiet hoc modo.

Ce Nihil quod euanescit est stella,
la Omnis cometa euanescit. Ergò
rent, Nullus cometa est stella.

De Reductione ad impossibile.

Reductio ad impossibile admodum est facilis. Nam eadem norma omnes modi secundæ figuræ reuocantur per impossibile. Si videlicet eandem serues maiorē, & huic addas contradicentem conclusionis, ex quibus tum sequetur contradicens minoris. Ita tertia figura omnes modos reducit ex contradicente conclusionis, & eadem minore contradicentē maioris concludendo. Iuxta hos versiculos.

Seruat maiorem, variatq́; secunda minorem,
Tertia maiorem variat, seruatq́; minorem.

Ad quem autem modum primæ figuræ singuli modi secundæ reuocandi sint, potest memoriæ causa indicare dictio Continebam, *cuius quatuor vocales indicant quatuor complexiones modorum primæ figuræ: O enim in Con notat primum modū secundæ figuræ ad Ferio quartum primæ reducendum esse, Ti, secundū secundæ ad tertium primæ. Ne tertium secundæ ad secundum primæ. Bam quartum secundæ, ad primum primæ reuocandum esse admonet. Ergò Cesare ad Ferio modum primæ figuræ reducetur hoc modo.*

Fe Nulla stella euanescit,
ri Aliquis cometa est Stella, Ergò
o. Aliquis cometa non euanescit.

Secundus modus ex maiore generali aiente, & minore generali negante infert conclusionem generalem negantem. Medium sequetur maiorem terminum, & pugnabit cum minore, vt: II.

Fieri

Fieri cũ ratione { sequitur perseuerantiã, maiorẽ.
pugnat cum pertinaci, minore.

Cam Omnis perseuerantia fit cum ratione,
es Nulla pertinacia fit cum ratione. Ergò
tres. Nulla pertinacia est perseuerantia.

Reductio vt fieri debeat supra diximus.

III. Tertius ex propositione generali negante & assumptione speciali aiente colligit specialem negantem. Medius pugnabit cum maiore, & sequetur partem minoris, vt:

Dei contemptor. { pugnat cum eo quod est sapiente.
sequitur partem diuitis.

Fes Nullus sapiens est dei contemptor,
ti Aliqui diuites sunt dei contemptores, Ergò
no. Aliqui diuites non sunt sapientes.

Reductio fiet vt dictum.

IIII. Quartus ex propos: generali aiente & assumptione speciali negante, colligit specialem negantẽ. Medius sequetur maiorem terminum, & pugna. cum parte minoris, vt:

Suum possessorem facere meliorem. { sequitur bonum, maiorem
pugnat cum parte voluptatis.

Ba Omne bonum facit suum possessorẽ meliorẽ
ro Aliqua voluptas non facit suum possessorẽ meliorem. Ergò
co. Non omnis voluptas est bona.

Osten-

Ostensiuè hic modus non reducitur, quod indicat C. litera in voce modi reperta. Per impossibile autem sic reducitur:

Bar Omne bonum facit suum possessorē meliorē.
Ba Omnis voluptas est bona, Ergò
Ra Omnis voluptas facit suū possessorē meliorē.

De Tertia Figura.

Tertia figura est, cum medius terminus vtroq; loco subijcitur.

Huic proprium est quod { Minor nequit esse negans. / Conclusio nunquam est generalis.

Modi eius figuræ sex sunt speciales & imperfecti: darapti, Felapton, Disamis, Dotisi, Bocardo, Ferison. Iuxta hos versiculos:

Tertia grande sonans ædit Darapti, Felapton.
Adiungens Disamis, Datisi, Bacardo, Ferison.

Primus modus ex propositione generali aiente, & assumptione generali aiente, concludit specialem aientem. Medius antecedet vtrumq; & maiorem & minorem terminum. vt: I. Modus.

Anima humana antecedit. { *Ad effigiem Dei creatum esse, maiorem.* / *Spiritum, minorem.*

Da Omnis anima humana ad effigiem Dei creata est,
rap Omnis anima humana est spiritus, Ergò
ti. Aliqs spiritus ad effigiem Dei creatus est.

Reducitur ostensiuè per accidens conuersa as-

ſumptione, quod indicat litera P. in Rap. media ſyllaba.

Da. Omnis anima hũana ad effigiẽ Dei creata eſt.
Ri. Aliquis ſpiritus eſt anima humana, Ergò
I Aliquis ſpiritus ad effigiem Dei creatus eſt.

Per impoſsibile reducitur. ſicuti omnes modi huius figuræ, ſi ex contradicente huius concluſionis & eadem minore colligas contradicentem vel contrariam maioris. Ordinem autem modorum primæ figuræ vt ſupra continebam, ita hîc illa oratio Bellaces Romani *indicat, E. ergò in* Bel. *notat hunc primum modum ad Celarent, reuocandum eſſe.*

Ce Nulli ſpiritus ad effigiem Dei creati ſunt,
la Omnis anima humana eſt ſpiritus, Ergò
rent. Nulla anima humana eſt ad effigiem Dei creata.

II. *Secundus ex propoſitione generali negante, & aſſumptione generali aiente colligit ſpecialem negantem. Medius pugnabit cum maiore & antecedet minorem terminum, vt:*

Inuidia { pungnat cum amplectendo maiore.
{ antecedit affectum minorem.

Fe Nulla inuidia eſt amplectenda,
lap Omnis inuidia eſt affectus, Ergò
ton. Non omnis affectus eſt amplectendus.

Reductionis artificium antè demonſtrauimus.

III. *Tertius ex propoſitione ſpeciali aiente, & aſſumptione generali aiente infert ſpecialem aientem. Medius antecedit partem maioris, & item antecedet*

cedet minorem terminum, vt:

Serpentes { Antecedit partem perimentis nascendo matrem.
Antecedit animalia, minorem.

Dis Aliqui serpentes nascendo matrem pimunt.
am Omnes serpentes sunt animalia, Ergò
is. Aliqua animalia nascendo matrē pimunt.

Quartus ex propositione generali aiente, & assumptione speciali aiente colligit specialem aientē. Medius antecedet maiorem, & partem minoris termini, vt: IIII.

Causa salutis { Antecedit expetendum, maiorem.
Antecedit partem pœnitentiæ.

Da Omnis causa salutis est expetenda,
tis Aliqua causa salutis est pœnitentia, Ergò
i. Aliqua pœnitentia est expetenda.

Quintus ex propositione speciali negante, & assumptione generali aiente colligit specialem negantem. Medius pugnabit cum parte maioris, & antecedet minorem terminum, vt: V.

Pœna { pugnat cum parte fugiendi.
antecedit molestum minorem.

Bo Aliqua pœna non est fugienda,
car Omnis pœna est molesta, Ergò
do. Aliqua molesta non sunt fugienda.

Sextus modus ex propositione generali negante, & assumptione speciali aiente, infert specialem negantem. Meidus pugnabit cum maiore, & antecedet partem minoris vt: VI.

Seditiosi { *pugnat cum retinendis in vrbe,*
antecedit partem ciuium.

Fe *Nulli seditiosi sunt in vrbe retinendi,*
ris *Aliqui seditiosi sunt ciues. Ergò*
on. *Aliqui ciues non sunt in vrbe retinendi.*

De Syllogismo Hypothetico.

Syllogismum hypotheticum esse diximus, cuius prima propositio hypothetica est, reliquæ duæ categoricæ

Ille ex propositionis diuisione aut est {
Conditionalis, cuius propositio conditionalis est.
Disiunctiuus, cuius propositio disiunctiua est.
Copulatiuus, cuius propositio copulatiua est.

Artificium huius Syllogismi in figuris & modis consistit, sed figurarum præcipua est habenda ratio.

Figuræ horum syllogismorum sunt septem, quarum tres Conditionalibus, duæ Disiunctiuis, duæ item Copulatiuis conueniunt.

De Prima Figura.

Prima figura est cum propositionis conditionalis aientis ponitur antecedens, vt ponatur consequens.

vt:

vt: Si Clodius Miloni insidias struxit, iure occisus est.

At struxit insidias Miloni. Ergò
Iure occisus est.

Duciturq́ hîc argumentum ferè ab antecedentibus.

Obserua hîc Ponere & tollere Dialecticorum verba esse. Ponere est eandem antecedentis vel consequentis qualitatem relinquere in assumptione, quæ fuit in propositione, vt: Si M. Regulus vir fortis fuit, Pænorum tormenta non timuit. Hic antecedens aiens est, consequens negans, Assume ergò antecedens affirmatè: at M. Regulus fuit vir fortis. Hinc infer consequens etiam negans: ergò Pænorum tormenta non metuit. Sic vtramq́ partem istius propositionis posuisse diceris.

Tollere est in assumptione, aut conclusione mutare antecedentis vel consequentis qualitatem eā, quæ fuit in propositione, vt: Si senectus esset accusanda ob molestiam, Cato reliquiq́ senes eam non ferrent sine querela. Hic rursus antecedens ait, negat consequens, Assume igitur consequens quod antè negans erat, nunc affirmatè: at Cato reliquiq́ sine querela ferunt. Hinc infer antecedens, quod ante aiens erat, nunc negatè: ergò senectus non est accusanda ob molestiam. Sic vtramq́ propositionis partem sustulisse diceris.

Modi in singulis figuris quatuor sunt, iiq́ eodem se modo habent.

Cic. Tus. de sen.

Singularum figurarum modi sunt quatuor eodem modo se habentes, nam aut

I. Vtraq; pars propositionis affirmans est, vt: Si omne argentum legatum est, pecunia quoq; argentea legata est.
At omne argentum legatum est. Ergò
Pecunea etiam argentea legata est.

II. Vtraq; pars ppositionis negans est, vt: Si post mortem non sumus miseri, mors mala non est.
Sed non sumus miseri post mortem, Ergò
Mala non est.

III. Prior pars affirmans, posterior negans est, vt: Si patris mortem vltus est Orestes, non tenetur lege parricidarum.
Sed est patris mortem vltus, Ergò
Orestes non teneatur lege parricidiarum.

IIII. Prior pars negans, posterior affirmans est, vt: Si animus non est conflatus ex contrarijs, est immortalis.
Sed non est conflatus ex contrarijs, Ergo
Est immortalis.

Oratores hæc argumenta interdum sic breuius exprimunt, Cum argentum omne legauerit, pecuniam quoq; legauit, quæ est in argento.

De reliquis figuris.

Secunda figura est cum propositionis conditionalis affirmantis tollitur consequens, vt tollatur antecedens, vt:

Si Roscius parricidium esset molitus, fuissent antè sibi rixæ cum patre.

Sed

Sed non fuerunt antè rixæ, Ergò
Roscius parricidium non est molitus.

Modi ijdem sunt qui suprà.

Tertia figura est cum propositionis conditionalis negantis, quæ ex repugnantibus partibus constat, ponitur antecedens vt tollatur consequens, vt:

Non si religiosus est, ambitiosus est,
Atqui est religiosus. Ergò
Non est ambitiosus.

Cum verò sint huius figuræ syllogismi quodammodo imperfecti, ad primam facilè reuocari possunt, Si propositio negans in affirmantem commutetur, & in locum consequentis oppositum eius subijciatur, relicta eadem assumptione & conclusione, vt: in dato exemplo oppositum consequentis est: Ambitiosus non est, sic igitur reducetur ad primā formam.

Si religiosus est ambitiosus non est,
At est religiosus, Ergò
Ambitiosus non est.

De Disiunctiuis hypoteticis Syllog.

Quarta figura est, cum propositionis disiunctiuæ affirmantis quæ ex partibus repugnantibus constat, ponitur altera pars, vt altera tollatur, vt:

Aut verus pater Herculis est Iupiter, aut falsus.
At est verus, Ergò
Non est falsus, Vel:
Est autem falsus, Ergò
Non verus.

Quinta figura est, cum propositionis disiunctæ tollitur altera pars, vt altera ponatur, vt:

Aut mihi Siculi fallendi sunt, aut Verres accusandus. Siculi autem quibus fidem dedi, non sunt fallendi. Ergo Verres accusandus est.

De Copulatis Syllogismis.

Sexta figura est, cum propositionis copulatæ eiusq; negantis ponitur vna pars vt altera tollatur.

vt: { *Non & sapiens est & auarus,*
At est sapiens, Ergò
Non auarus, aut contrà. }

Septima figura est cum propositionis copulatæ negantis, & ex repugnantibus partibus conflatæ, tollitur altera pars, vt altera ponatur, vt:

Non & vir fortis est & effæminatus Antonius,
At non est vir fortis. Ergò
Effæminatus, Vel:
At non effæminatus, Ergò
Vir fortis.

De Syllogismo expositorio.

Tertia syllogismi diuisio est in Communem & expositorium, cum igitur huc vsq; de Communi dictum sit, nunc de expositorio dicendum est.

Syllogismus expositorius est, cuius medius terminus est indiuiduum, & ad modum tertiæ figuræ vtroq; loco subijcitur, vt:

Salustius fuit improbus.
Salustius fuit eruditus, Ergò
Quidam eruditi sunt improbi.

Horum syllogismorum alij affirmantes sunt, alij negantes. Sed notandum est in negantibus assumptionem affirmatam esse oportere.

De Enthymemate.

Enthymema est syllogismus imperfectus, in quo altera antecedentium propositionum supprimitur, vel quia manifesta sit, vel parum firma.

Hoc duplex est, aliud enim Rhetoricum est, quod ex contrarijs constat, Et non potest facilè nisi Hypothetico syllogismo claudi, vt: nulla salus bello pacem te poscimus omnes. An bonum pecunia, qua quis malè vti potest? Aliud Dialecticum, quod in Categoricum syllogismum facilè mutatur.

Enthymematis duæ sunt partes { *Antecedens altera præmissarum, si syllogismus fiat.* / *Consequens, quod fiet conclusio in syllogismo.* }

In Enthymemate aliquando maior deest, aliquando minor propositio. Maior deest si idem antecedentis, & consequentis subiectus sit, vt: Id tamen in Tertiæ figuræ syllogismis aliquando fallit.

Laërtes est senex. Ergò
Laërtes est imbellis. Deest maior.
Omnes senes sunt imbelles.

Minor deest, si antecedentis & consequentis idem sit attributus, vt: Omnes qui amant, oderunt coniugium, Ergò Id fallit quãdoq; in secunda figura.

Pamphilus odit coniugium. Deest hîc assumptio Pamphilus amat.

De Inductione ἐπαγωγὴ.

Inductio est argumentatio, quæ ex pluribus vel partibus, vel formis plenè enumeratis, totum vel genus, vel certe partem, vel speciem propter similitudinem colligit. Ex hac definitione colligitur hæc diuisio.

Inductione vel colligitur
- *Totum ex partibus, vt: Mens hominis est obscurata, Voluntas deprauata, Affectus vitiati, Ergò totus homo deprauatus est.*
- *Genus ex formis, vt: Assyriorum regnũ finem habuit, itemq́ Persarũ, Medorum Græcorum, & reliquorum omnium, Ergò & Romanum finem habebit.*
- *Pars seu forma ex similibus partibus, seu formis, vt: Si tutor præstare fidem debet, si socius, si cui mandaueris, si qui fiduciam accepit, debet & procurator.*

Atq; hac tertia species Rhetorica inductio à quibusdam appellatur. Quæ etiam sepè per interrogationem instituitur, & Socratica vocatur, vt: Quod est pomum generosissimum, nonne quod optimum? Quis ager generosissimus, nonne qui optimus? Quis equus generosissimus, nonne q optimus? Et sic de ceteris, nonne quæ optima sunt ea censentur generosissima? Quis igitur homo generosissimus, nonne qui optimus?

Notandum hîc est, cum plerumq; non enume-

rentur

rentur omnes partes vel ſpecies, particulam quandam ſubijci ſolere, quæ reliquas item partes vel ſpecies eodem ſe modo habere ſignificet, quam hypotheſin vocare conſueuerunt.

Differt Inductio à ſyllogiſmo, quod illa ex ſingulis colligit vniuerſa, & experimentis conſtat, rudibusq́ꝫ docendis eſt aptiſsima. Hic ex vniuerſis rebus ſingulas demonſtrat, & ratione colligitur.

Illud prætereundum non eſt, Inductionem & Exemplum argumenta potius quædam eſſe ex partibus & ſpeciebus, aut ſimilibus, quàm ſpecies argumentationis. Nos autem conſuetudinem hæc tradentium potius quàm hanc rationem ſecuti ſumus.

De Exemplo.

Exemplum eſt imperfecta inductio, cum ex vno particulari, alterum particulare, ſeu ſpeciale colligitur, propter ſimilitudinem, vt:

M. Attilius Regulus mori maluit, quàm fidem hoſti datam fallere, Ergò,

Fides hoſti ſeruanda eſt. Item,

Dauidi fuit glorioſum aduerſus infideles certare. Ergò & Carolo Quinto glorioſum erit contra hoſtes Chriſtianæ religionis bella gerere.

Hîc iam ſi plures idem feciſſe enumeres, fiet Inductio.

Refutatur exemplum, ſi diſsimilitudo oſtendatur inter argumentum, & id quod ex eo ob ſimilitudinem concludimus.

De Sorite.

Soriten pleriq; Dialectici inter argumentationis species numerant, etsi Syllogismus potius sit, qui transpositas propositiones habet, quam peculiaris species argumentationis.

Soriten Dialectici vocant formam argumentandi, in qua ordine congestis pluribus vocibus necessariò cohærentibus, extremæ tandem partes connectuntur.

Hic duplex est.

- *Categoricus, qui ex Categoricis enunciationibus constat, vt: Omne bonum est laudabile, Omne laudabile honestum est. Ergò Omne bonum honestũ est.*
- *Hypotheticus, qui ex conditionalibus constat, vt: Si Deus est, iustus est. Si iustus est reddet cuiq; quod meretur. Si reddet cuiq; quod meretur, luent supplicium improbi. At Deus est, Ergo luent supplicium improbi.*

DE

DE INVENTIONE DIALECTICA LIB. II.

INuentio est argumentorum ex locis petendorum certa scientia.

Argumentū est id, quo rei dubiæ fidem facimus.

Locus est communis rei nota cuius admonitu, quid in re quaq; probabile sit, facillimè inueniri potest.

Locorum Diuisio.

- Loci diuiduntur in
  - Internos qui vel sunt.
    - In substantia, vt hi septem.
      - Definitio.
      - Genus.
      - Species.
      - Proprium.
      - Totum.
      - Partes quę sunt
        - Substantiæ.
        - Quātitatis.
        - Virtutis.
      - Coniugata (aut
    - Circa substantiam, vt hi tres,
      - Adiacentia.
      - Actus.
      - Subiectum.
  - Externos, quorum species 4. sunt,
    - Cognata dicuntur et:
      - Causæ duæ, vt:
        - Efficiens.
        - Finis.
      - Euenta duo, vt:
        - Effectum.
        - Destinatū.
    - Applicita vt hi tres,
      - Tempus.
      - Connexa.
      - Locus.
    - Accidentia vt hi quinque.
      - Contingentia
        - Antecedentia.
        - Adiuncta.
        - Cōsequentia.
      - Pronunciata
      - Coparata
        - Maiora,
        - Paria.
        - Minora.
      - Nomen rei
      - Similia.
    - Repugnantia vt hi duo.
      - Opposita.
      - Diuersa.

Ex hac distributione emergũt 24 loci hoc ordine enumerandi, Definitio, Genus, Species, Proprium, Totum, Partes, Coniugata, Adiacentia, Actus, Subiectum, Efficiens, Finis, Effectum, Destinatũ, Tempus, Connexa, Locus, Contingentia, Pronunciata, Comparata, Nomen rei, Similia, Opposita, Diuersa.

De Definitione.

Definitio est oratio, qua quid res sit propriè breuiter, aperteq́; declaratur, Unde intelligitur quod definitio omnis breuis erit perspicua, & quæ reciprocari posit cum definito.

Lex cõponendæ definitionis est: Omnis definitio constabit genere & differentia speciei constituente. Sed cum (Teste Rodolpho) vix veras habeamus differentias, sarcienda est earum inopia, & seruanda hæc regula: Primò commune quoddam ponendum est, quod generis locum obtineat, deinde alijs atq; alijs additis eousq; persequendum, donec definito proprium efficiatur, vt: Si hæreditatem definire velis, dicas: Hæreditas est pecunia, commune adhuc: Multa enim genera sunt pecuniæ. Adde quod sequitur, quæ morte alicuius ad quempiam peruenit. Nondum est definitio: multis enim modis sine hæreditate teneri mortuorum pecuniæ possunt. Vnum adde verbum. Iure, Iam à communitate res distincta videbitur, vt sit explicata definitio sic: Hæreditas est pecunia, quæ morte alicuius ad quẽpiam peruenit iure. Nondum est satis, Adde,

Cicero in Top.

Nec

Nec ea legata testamento, nec possessione retenta. Confecta est definitio.

Diuisio Definitionis.

Definitio alia essentialis est, Græce ὀυσυώδης dicta, quæ propriè definitio dicitur, & rei naturam per genus & differentiam explicat: alia descriptio latinè, Græcè καταγραφὴ appellatur, hæc est ea quæ genere constat, & communium frequentia, vbi vera differentia deest.

Vsus huius loci.

Valent huius loci argumenta in omni causarum & quæstionum genere, tam in affirmantem quàm negantem partem, & ferè sunt firmissima, vt: Sapientia est rerum diuinarum & humanarum causarumq́; quibus hæ tres contineantur, scientia. Ergò nihil est sapientia est optabilius. Vsus apparet ex his axiomatis.

1. *Quorum definitiones eadem sunt vel diuersa, illa eadem sunt vel diuersa.*
2. *Quodcunq; attribuitur vel adimitur definitioni, id etiam definito, vel contrà.*
3. *Cui conuenit vel non conuenit definitio, eidem & definitum, vel contrà.*
4. *Quæcunq; æquales, vel inæquales definitiones habent, illa inter se sunt æqualia vel inæqualia.*

Genus, Species, Diuisio.

Generis & speciei definitio & diuisio ex vocibus vniuersalibus petenda est, hic de ijs ea ratione agendũ est, qua argumenta suppeditant. Obseruandum

dum tamen illud est, quod ad vsum argumentandi attinet, genus hic cum specie, & speciem cum indiuiduo confundi. Hoc loco igitur accipe genus quicquid de pluribus dicitur in quæstione, qua quid sit quæritur. Speciem quicquid in ea quæstione alteri subijcitur.

Vsus Generis.

A genere ad speciem tam affirmando quàm negando argumentamur, quanquam affirmantia argumenta, vt firma sint, adijciendum est signum generale, vt: Nulla ars literis sine interprete, & sine aliqua exercitatione percipi potest, Ergò nec Cicer. *Topica.*

Porrò huius loci vsum indicant hæc axiomata.

1. *Cui adimitur genus, eidem omnes species adimuntur.*
2. *Sublato genere tolluntur omnes species.*
3. *Cui tribuitur genus vniuersum, ei tribuuntur omnes formæ.*
4. *Posito genere vniuerso, ponuntur omnes formæ.*
5. *Quæ de genere, tanquam de subiecto dicuntur, ea de omnibus & singulis formis inferioribus dici possunt.*

Vsus Speciei.

A specie ad genus firma ducuntur aientia argumenta, & negantia quandoq;, vt: Si dialectica est virtus, ergò ars inter virtutes numerabitur, Si Dædalus in Sardiniam ex Creta volauit, possunt ergò homines artis ope volare, Axiomata.

Forma

Forma quoad nomen suum obtinet, generis naturam retinet.

Sublatis omnibus formis tollitur genus.

Negata vna specie, genus vniuersum non conceditur.

Ergò ad refutandum genus vniuersum vna species sufficit, quam si aduersario obieceris, ἔνστασις *vocatur. Ut: Si aduersarius obijcit: omnis animi motus rationem perturbat, id* ἐνστάσει *solueris: commiseratio non perturbat rationem, ergò non omnis motus animi. Vide Arist. lib. 2. de Ratio. cap. 13.*

De Diuisione.

Diuisio est generis in species partitio, totius in partes diductio. Diuisio sumitur ferè ex omnibus locis, vide Rodolph. lib. 1. cap. 7.

A diuisione negantia ducuntur argumenta per secundum axioma speciei.

Item à diuisione in affirmantem ducitur argumentum per enumerationem cum omnibus formis enumeratis, vna cæteris infirmatis astruitur, vt: Cicero: Quæro igitur vnde iste tam pecuniosus sit factus? amplum patrimonium relictũ est? at patris bona venierunt. Hæreditas aliqua obuenit? at ab omnibus exhæreditatus est, &c. Quare si his honestis rationibus locupletatus non est, restat, vt aut isti domi nascatur aurum, aut vnde non oportuit surripuerit.

De Proprio.

Proprij definitio & diuisio itidem ex vocibus petenda est Alij hunc locum à differentia vocant.

Vsus proprij.

Præcipuus proprij vsus est supplere vicem differentiæ, Argumentamur & à Proprio seu Differentia, ferè quemadmodum à definitione.

Axiomata.

Posita differentia, ponitur et eius species,
Remota differentia, remouetur & species.

Totum & partes.

Totum est, quod omnibus suis partibus est absolutum, Pars est ex qua totum componitur.

Notio.

Totum differt à genere, quod genus in singularum specierum substantia inest, & de vnaqualibet earum verè prædicatur, Totum non item.

Partiũ aliæ sunt
- Substãtiæ quæ diuiduntur duobus modis.
  - Primò aliæ sunt,
    - Præcipuę vt
      - Materia & hæc triplex,
        - Materia prima.
        - Materia secũda
        - Mate. ꝓ obiecto
      - Forma, à qua nomen ducitur.
    - Integrãtes
  - Secundò aliæ sunt.
    - Cognatæ ὁμογενεῖς.
    - Multigenæ ἑτερογενεῖς.
- Quantitatis quarum aliæ sunt,
  - Multitudinis.
  - Magnitudinis.
- Virtutis.

Vsus

Vſus huius loci.

Suppeditat hic locus argumenta affirmantia, & negantia, vt: Circumſilit agmine facto.

Iuuenal. ſat. 10.

Morborum omne genus. Et paulò poſt:
Ille humero, hic lumbis, hic coxâ debilis, ambos
Perdidit ille oculos, & luſcis inuidet, huius
Pallida labra cibum digitis capiunt alienis,

Cicero.

Item negate: Si neq; cenſu, neq; vindicta, nec teſtamento liber factus eſt, non eſt liber.

Axioma Totius.

Poſito toto, ponuntur omnes eius partes.
Remoto toto remouentur omnes eius partes.

Axioma Partium.

1 *Remotis vel poſitis omnibus partibus, totum vel remouetur vel ponitur.*
2. *Quod partibus conuenit, toti aſſcribitur.* Ariſto. lib. 10. Top.
3. *Sublata materia neceſſe eſt tolli effectum.*
4 *Præſente materia induci poteſt ab efficiente forma.*
5. *Materia qualitatem effectorum facilè indicat.*
6. *Talis eſt res qualem ſua forma declarat.*

A materia & forma rerum laudes & descriptiones sæpè ducuntur.

De Coniugatis.

Coniugata sunt, quæ cum re sint eadem, sola vocis inflexione à se distant.

Ea vel sunt coniugata.	*Sola voce, vt: somnus & somniculosus.* *Sola re, vt: virtus, probus.* *Voce & re simul, vt: iusticia, iustè.*

Valet hic locus, & ad argumenta, & ad ioca, tum etiam hinc nonnunquàm exempla ducuntur, vt: Si pietati summa tribuenda laus est, debetis moueri, cum Q. Metellum tam piè lugere videtis.

Ouidius.

Aurea nunc verè sunt secula: plurimus auro
Venit honos, auro conciliatur amor.

1. *Cui vnum coniugatorum conuenit, vel non conuenit, eidem & alterum.*

2. *Quod vni coniugatorum conuenit vel non conuenit, id etiam alteri conuenit vel non conuenit.*

De Adiacentibus.

Adiacens est modus rei inexistens, quo aliquid aliud, quàm secundum substantiæ suæ denominationem res vocatur.

Adiacens

Adiacens duobus modis diuiditur

- Primò adiacentium alia.
  - Senſu percipiuntur, aut
    - Cōmunia obiecta vt
      - Magnitudo.
      - Multitudo.
      - Figura.
    - Propria obiecta vt
      - Viſu colores.
      - Auditu ſoni.
      - Guſtu ſapores
      - Olſactu odores.
      - Tactu qualitates tactiles.
  - Intellectu percipiūtur.
- Secūdò adiacentium alia ſunt
  - Natiua eaq; vel in
    - Inanimatis.
    - Stirpibus & plantis.
    - Animalibus.
    - Hominibus.
  - Accidentia q;ea vel
    - Separabilia.
    - Inſeparabilia.

Obſeruatio.

Animi affectiones, vt: ira, amor, ſpes, &c. ſi accipiantur, vt à natura proueniunt, adiacentia natiua ſin conſiderentur vt vſu confirmantur, accedentia erunt.

Vſus huius loci.

Valent adiacentia in omni cauſarum genere, & rerum deſcriptionibus, continentq; omnia ferè nomina & verba, quæ ab agitatione & motu liberæ ad quantitatem vel qualitatem pertinent, ſuppeditant argumenta affirmantia & negantia, vt: Si iuſtitia eſt laudanda, ergò etiam animus viri boni.

Axiomata.

1. *Tributis adiacentibus infertur ſubiectum.*

2. *Sublatis omnibus adiacentibus natiuis, tollitur subiectum.*

3. *Reprehensis aut laudatis adiacentibus, reprahenditur aut laudatur subiectum.*

Actus.

Actus est quocumq; modo exerceri afficiq́; dicimur.

Oriuntur ab Adiacentibus actus, vnde & pro illorum varietate distinguuntur.

Actus duobꝰ modis diuidi possũt.
- *Primò actuum alij sunt*
  - *Natiui, vt: loqui*
  - *Vsu parati, ijq̂; vel*
    - *Ex subitis affectionibus nascuntur, vt: timere.*
    - *Ex firmatis affectionibus, vt: legere.*
- *Secundò actuum alij*
  - *Opus efficiunt aliquod.*
  - *Intra se consumuntur, & horum alij*
    - *Finem propositum habent.*
    - *Non habent finem propositum.*

Obseruatio.

Quædam verba huc videntur pertinere, quæ tamen adiacentia sunt, quia motum aut agitationem non designant, vt: scire, valere: contra, quædã nomina subadiacentium forma actus sunt, quia agitationem designant, vt: pugna, cursus.

Vsus Actuum.

Eundem penè vsum hic locus habet, cum superiore, quare illa superiora huc referri possunt, Ad-

de

de tamen id quod huic peculiare est, quod videlicet rerum natura & adiacentia earundem ex actibus inquiri solent & possunt, vt:

Terentius in And.

Nam qui cum ingenijs conflictatur eiusmodi.
Neq; commouetur animus in ea re tamen,
Scias posse habere iam ipsum suæ vitæ modum.

De Subiecto.

Subiectum hoc loco est, cui adiacentia & actus innituntur, & in quod recipiuntur actus, vt: Ignis caloris est subiectum.

Actus duplex habent subiectum, vnum à quo proficiscuntur, alterum in quod recipiuntur, vt calefactionis tum ignis tũ aqua. Obiectum siue sensuum sit siue intellectus, siue artium, non huc sed ad locum causæ efficientis pertinet. Magnitudo modo adiacens modo subiectum dici potest.

Vsus subiecti.

Etsi subiectum tam ad aiendum quam negandum valet, tamen aientia vt firma sint requirunt, vt actus & adiacentia natiua sint, vt Adamas est, ergo ferrum trahet.

Axiomata.

1. *Remoto subiecto, statim adiacentia & actus remouentur.*
2. *Posito subiecto adiacentia natiua, actusq; natiui etiam ponuntur.*

Causæ.

Causæ & Euenta vno nomine cognata vocantur.

Cumq́ꝫ materiam & formam superius inter partes enumerauerimus, hîc efficientem & finem propriè causas vocamus.

De Efficiente.

Efficiens est, quod efficiendæ rei operam præbet, Finis stimulat efficiens, efficiens incitatum explicat vim suam in opus.

Efficiens duobus modis diuiditur,
- Primò efficientium alia
  - Necessitate & sine consilio agunt vel
    - Conatu naturæ, vt: ignis vrit.
    - Externa vi, vt aqua feruens calefacit.
  - Delectu seu pro arbitrio agunt,
- Secundò efficientiũ alia sunt
  - Imperantia ad quorum præscriptum omnia fiunt.
  - Obsequentia, quorum alia sunt
    - Agentia, vt: ministri.
    - Agendi instrumenta.

Item efficiens aliud remotum est, aliud propinqnum.

Vsus Efficientium.

Suppeditat hic locus argumenta necessaria in vtramqꝫ partem, & in laudando, suadendo, accusandoq́ꝫ valet plurimum, vt: Virgil. in Bucol.

Quoniam tibi Pocula ponam
Fagina, cælatum diuini opus Alcimedontis.

Cicero.

In animo est principium motus, ergò est æternus.

Axiomata.

1. *Necessa-*

1. *Neceſſariã cauſſam neceſſarius ſeq̃tur effectus.*
2. *Negata cauſa efficiente, negatur & effectus.*
3. *Qualis cauſa talis effectus.*

De Fine.

Finis eſt, cuius gratia aliquid fit, Eius diuerſitas ex bonorum differentia ſumitur.

Bonorum alia ſpectantur
- *Pro ſingularum rerum conditione, quã habent in ſuo genere, q̃ ratio duplex eſt*
  - *Per ſe bonum eſt ſtatus cuiuſq; rei in ſuo genere perfectiſſimus, vt: ignis maximè calidum & ſiccum eſſe.*
  - *Conferens bonum, vt: cibus ad vitam tuendam.*
- *Ex toto rerum ordine quo cuncta alterum alterius vſibus videntur addicta, quomodo Deus ſummum bonum dicitur, & eſt.*

Obſeruationes.

1. *Vnius rei diuerſo reſpectu plures poſſunt eſſe fines.*
2. *Si vſum rerum ſpectes, vltimus eſt finis cauſarũ, ſin cogitationẽ cõſideres, erit finis cauſa prima. Ariſt. lib. 2. Phyſi: capite 9.*
3. *Cauendum hoc loco, ne abuſum pro vſu ſumamus. In genere hoc de cauſis obſeruandum eſt, quod ex ijs rerum definitiones, deſcriptiones, laudes, vituperiaq; ſæpè ducuntur.*

Vſus huius loci.

Valet in vtramq; partem hic locus, & cum ex eo vtilitas rerum actionumq; penſetur, permultum in perſuadendo valet, & in iudicijs, in accuſando aut excuſando, multum intereſt, in quem quodq; factum ſit finem, vt: Cicero, Si pace volemus frui, bellum gerendum eſt: ſi bellum omittimus, pace nunquam fruemur.

Axiomata.

1. *Cuius finis bonus eſt idipſum bonum eſt.*
2. *Qui finem expetit, ne fugiat quod ad finem deſtinatur.*
3. *Qui finem oderit, fugiat quæ finis conſequitur.*
4. *Qualis finis, tale idipſum, quod in finem deſtinatur.*

Euenta.

Ea diuiduntur in Effecta & Deſtinata.

Effectum eſt, quod cauſa efficiens poſt actum relinquit.

Effecta efficienti deſtinata, fini reſpondent.

Vſus Effectorum.

Hic locus tam ad affirmandum quam negandum valet, vt: O præclarum munus ſenectutis, ſiquidem id aufert à nobis quod eſt vicioſiſsimum. Cicer. in Senect. *Vnde intelligitur ad laudem rerum multum effecta valere, vt Prouerb. 22. Cap. Diſciplina fugat ſtultitiam ex corde puerorum: ergò, qui diligit liberos eos caſtigat.*

Axiomata.

Axiomata.

1. *Posito effectu necesse est eius proprium efficiens aut esse aut fuisse.*
2. *Remoto effectu remouetur & efficiens causa necessaria.*
3. *Remoto effectu non statim remouetur causa non necessaria.*

Destinata.

Destinata sunt, quæ in certum finem ordinantur.

Vsus.

Hic locus in deliberando, cum, quid, aut quo modo fieri conueniat locum habet, alterum siquidẽ à fine, alterum ab efficiente probatur, et in quæstione an sit nonnunquam adhibetur. Item in genere demonstratiuo magnam vim habet, vt : Cicero. Quid comitatus nostri, quid gladij volunt, quos habere certè non liceret, si vti illis nullo pacto liceret.

Axiomata.

1. *Quæ à destinatis remouentur, & à fine.*
2. *Quæ destinatis competunt, & fini.*

Locus.

Locus est, quo quæq; res continetur. Eum Cicero sub Adiunctis cõprahendit. Locus, Tempus, & Connexa respondent categorijs Aristotelicis, Vbi, Quando, & Habere, appellanturq; Applicita.

Loci discrimen sumitur vel
- Ex ipsis locis quatenus loci sunt, aut
  - Ex se solo sine vllo respectu significat vel
    - A loco, hinc, illinc.
    - Ad locũ, huc, illuc.
    - Per locũ, hac, illac.
    - In loco, hîc, illic.
  - Ex comparatione, vt locum amplum & angustum sine comparatione non itelligimus.
- Ex ijs quæ accedunt, aut
  - Natiuus vt dicimus locum maritimum.
  - Ab hominibus idq́ʒ vel
    - Opere eorum vt: rus, Vrbs, Templũ.
    - Opinione vt: sacer.

Vsus Loci.

Valel locus in vtramqʒ partem in omni causarum genere, nam laudamus vituperamusq́ʒ a loco, rerumq́ʒ facultatem spectamus in consultando, & in coniecturis amplificationibusq́ʒ eo vtimur, vt: Cicero 1. *Officiorum.*

Quamquàm te Marce fili annum iam audientem Cratippum, idq́ʒ Ahenis, abundare oportet præceptis, institutisq́ʒ philosophiæ, propter summã & doctoris autoritatem, & vrbis, quorum alter te scientia augere potest, altera exemplis. Idem pro Rosc. Quomodo occidit? ipse percussit, an alys occidendum dedit? si ipsum arguis, Romæ non fuit. Et paulò post. Ego ostendo, ne potuisse quidem facere:

cere: quod neq; Romæ multis annis fuerit, neq; de prælio vnquàm temerè discesserit.

Notandum tamen negantia hinc argumenta firmissima esse, aientia nisi alia adiungantur, tantum verisimilia esse.

Tempus.

Tempus est spacium ex cæli solisq; vertigine ductum, quo rerum omnium agitationem vicissitudinemq; metimur.

Temporis discrimen vel sumitur,
- *Ex substantia & significat vel*
  - *Præteritum, vt: heri.*
  - *Præsens, vt: nunc.*
  - *Futurum, vt: cras.*
- *Ex circumstantiis iisque vel*
  - *Ex natura & sunt aut*
    - *Propria temporis discrimina vt: hora, dies, mensis.*
    - *Ex cœli affectione orta, vt: Tempus serenum, nubilum.*
  - *Ab hominibus, & est aut*
    - *Commune, quod omnibus ferè simul accidit, vt: messis.*
    - *Publicum, quod ciuitas aliqua tota frequentat, vt: festum.*
    - *Singulare, quod vni cōpetit, vt: nuptiæ.*
    - *Ab ætate vt: infantia.*

Vſus Temporis.

Valet hic locus tum ad fidem faciendam, tum ad monendos affectus, tum verò maximè ad amplificandum, laudamus & vituperamus ab hominum ætatibus, Et tempus agendi oportunitatem exhibet, quare & in coniecturis ſæpè adhibetur, Et crimen ſæpè exaggerat aut minuit.

Virgil. 2. Aeneidos.

Hic Priamus, quanquam in media iam morte
tenetur
Non tamen abſtinuit, nec voci iræq; pepercit.

Idem 4. Aeneidos.

Quinetiam hyberno moliris ſidere claſſem.
Et medijs properas Aquilonibus ire per altum.

Connexa.

Connexa ſunt, quæ non circumſtant quidem rem vt locus & tempus: ſed extrinſecus in eam incumbere videntur, mutuamq; inde capiunt denominationem.

Horum alia propinqua ſunt, vt: piſcoſum in aqua, & habituum ſpecies in corporibus, vt: tunicatum eſſe: alia de longinquo rem magis aſpiciunt, & potius intellectu percipiuntur, vt: opes, gloria, itemq; officia ad Relata pertinentia.

Differunt Connexa ab Adiacentibus, quod hæc ſubiecto inhærent, & ſine eo eſſe non poſſunt: illorum autem alterum extra alterum eſt, & ſine eo eſſe poteſt, quanquam in Relatis nomen quidem pereat.

Notandum hic est, quædam sub Connexorum specie cum maiore aut minore collata, comparatorũ vim sumere.

Vſus.

Valent Connexa non ſolum in genere demonſtratiuo, ad faciendam fidem, concitandos animos, amplificandum, verumetiam in deliberationibus & coniecturis magnam vim habent in vtramq; partem, vt: Cicero. Vide quid interſit? & ſi iniquè Castorem Domitio comparo: ſed tamen ille inimico ſeruum remiſit, tu ab auo abduxiſti: ille incorruptum audire noluit, tu corrupiſti: ille adiutorem ſeruum contra dominum repudiauit, tu etiam accuſatorem adhibuiſti.

Axiomata.

1. *Poſito Connexorum vno, ponitur & alterum.*
2. *Remoto ac perempto Connexorum vno, tollitur & alterum, quod de nomine eorum, non de re intelligendum eſt.*

Contingentia.

Cõtingentia, item Nomen rei, Prounciata, Cõparata & Similia vno nomine accidentia vocantur.

Contingentia ſunt, quæ ita contingunt circa rem, vt ſiue iſta eueniant, res exiſtere, ſiue res non exiſtat, iſta euenire poſsint.

Differunt Contingentia à Connexis, quod connexa vno ſtatim nomine intelliguntur, illa vt intelligantur duobus nominibus conferri oportet.

Contingentia illa tantum argumentis apta ſunt,

quæ

quæ habent aliquid commune cum ipsa re, & veluti vestigio quodam in eius cognitionem ducunt. Contingentia alia antecedunt rem, alia adiuncta sunt, alia consequuntur.

Vsus Contingentium.

Signa Rhetoricarum probationum plerumq; sunt ex hoc loco. Valentq; contingentia tum ad coniecturam, tum ad qualitatem, vt cum ex ante acta vita crimen colligimus, cumq; ad odium, inuidiam & commiserationem persona tractatur.

Nomen Rei.

Nomen est vox ad rem significandam consensu hominum instituta. Cicero hunc locum ab Etymologia seu veriloquio, aut nominis interpretatione vocat. Argumenta hinc plerumq; verisimilia ducuntur.

Ab hoc loco tribus modis argumentamur, Primò ab Etymologia, & cõtra, secundò ab agnominatione, Tertiò à translatione. Humanitas maximè conuenit homini, igitur, Artes humanitatis sunt expetendæ. Secundus modus sæpè captiosus est, si apertior fuerit, etiam ridiculus euadit, vt: Quis neget Aeneæ magna de stirpe Neronem? Sustulit hic matrem, sustulit ille patrem.

Axioma.

Cui conuenit nominis interpretatio, & ipsum nomen, & contrà.

De Pronuntiatis.

Pronunciatum est quod quis de re aliqua vel dixit vel sensit. Hunc locum Cicero extrinsecus assumptum, vel artis expertem, alij à iudicio, alij ab autoritate, alij à testimonio vocant.

Pronunciatorum alia sunt:
- *Diuina, vt:*
  - *Oracula.*
  - *Vaticinia.*
  - *Sacræ literæ.*
- *Humana q̃ consistũt vel*
  - *In scripto, vt:*
    - *Cirographa.*
    - *Instrumenta.*
    - *Epistolæ.*
  - *In oratiõe eaq; vel*
    - *Libera.*
    - *Expressa.*

Huc etiam refer pronunciata, quæ reipsa fiunt, vt nutus.

Pronunciata negatè ducta, nihil momenti habent, vt: Aristoteles non scripsit de Syllogismo Hypothetico, ergò in dialecticis locum non habet, Argumentum non valet.

Præcipuum huius loci axioma: Cuilibet artifici in sua arte credendum est.

Comparata.

Comparata sunt, quæ in vno tertio conferuntur, quod ambobus est commune.

Differunt Comparata à Similibus. Quod Comparata in vno conferuntur, Similia in duobus.

Comparata alia paria sunt, alia maiora, alia minora, vnde triplici via ex hoc loco argumenta ducuntur.

Vsus.

Valent Comparata in omni causarum & quæstionum genere, & præcipuam in amplificando vim habent, vt: Pallasné exurere classem
Argiuum, atq; ipsos potuit submergere ponto
Vnius ob noxam? Cicer. *Deinde altera pars.*
Ast ego quæ diuûm incedo regina, Iouisq;
Et soror & coniunx, vna cum gente tot annos
Bella gero &c.

Axiomata.

1. *Quod in maiore non valet, nec valeat in minore.*
2. *Quod in re minore valet, valeat & in maiore.*
3. *Aequitas in rebus paribus paria iudicia desiderat.*

Similia.

Similia sunt, quæ conferuntur in singulis, quorum quemadmodum hoc in isto, sic illud se habet

in

in illo. Illud obseruandum est, vt omnis similitudo in docendo sit aperta, in laudando, splendida, in vituperando, pudenda, in re attollenda, magnifica. Contraria omnia de dissimilitudine intelligenda sunt.

Vsus.

Similia magis rem illustrant, quàm docent, si enim poëtarum & oratorum similitudines soluas in formam dialecticam, frigida admodum erunt argumenta. Vt illa Lucani lib. 5. belli Pharsalici.

Cæsaris an cursus vestræ sentire putatis
Damnum posse fugæ: veluti si cuncta minentur
Flumina, quos miscent pelago subducere fontes,
Non magis ablatis vnquam descenderet æquor,
Quàm nunc crescit aquis.

Axiomata.

1. *Similium idem est iudicium.*
2. *Dissimilibus in rebus, dissimile est iudicium.*

Repugnantia.

Repugnantia est rerum per se dissidens habitudo, qua fit vt alterum dici, quod alterum est, non possit. Horum species duæ sunt. Opposita & diuersa.

Opposita sunt, quæ repugnant vnum vni sic, vt neq; alterum de altero, neq; ambo de vno tertio dici possint.

Horũ ſpecies 4. ſunt.	*Relata. Contraria. Priuantia. Contradicētia.*	*Ariſt. cap. 7. Categ. & cap. 10. lib. 4. Metaph.*

Relata ſunt, quæ ſecundum hoc ipſum quod ſunt aliorum eſſe dicuntur, hoc eſt, quæ ſpectantur ex alio, & inde nomen accipiunt.

Contraria ſunt repugnantia, quorum vtrumq; poteſt ſimul, & alterum ſine altero eſſe.

Priuantia ſunt, quorum vnum eſt diſpoliatio alterius in ſubiecto, quod id natum eſt habere.

Contradicentia ſunt, quorum vno negatur idipſum, quod altero affirmatum eſt.

Vſus Oppoſitorum.

Argumenta hinc in negantem partem ducuntur plurima, in affirmantem pauca.

Axiomata.

1. *Contrariorum mediatorum vno remoto, non ſtatim alterum ſequitur.*
2. *Relatorum, priuantium aut contradicentium poſito vno, remouetur alterum.*
3. *Contrariorum contraria eſt conſequentia.*

Relata quatenus ſibi inuicem nomen præbent, connexa, quatenus vero agendi & patienti modo conſiderantur, oppoſita ſunt.

De

De diuersis.

Diuersa sunt, quæ non certo ductu vnum vni opponuntur, sed satis est substantijs inter se opposita esse.

Diuersa inter se plura esse possunt, Opposita tantum duo esse necesse est.

Ea quadruplicia sunt, aut enim numero distãt, aut genere, aut specie, aut totis categorijs.

Obseruandum illud est, quæcumq; categorijs differunt, etiam genere, specie et numero differre, quæ vero numero differunt, ea prædicamento genere & specie eadem esse.

Ignorandum non est, eandem vocem diuerso respectu ad diuersos locos referri posse.

Vsus diuersorum.

Negantia tantum hinc argumenta ducuntur, cum vnum diuersorum ponimus, vt tollatur alterum. In amplificationibus etiam vim habent.

FINIS.